45818

BURNDY
LIBRARY
Chartered in 1941

Gift of
BERN DIBNER

Aristotelis Logicam, quam secutus est, et publicè

Senis edocuit P. Felix Tajoli in Collegio

S. Vigilij anno 1731: me audiente

Cesare Duratio Convictore Col=

legij Ptolemei, lector aman=

tissime,

intento animo, accuratèque perlegere ne desinas.

Di Cesare Durazzo

MSS 1291B RB NMAH

Præfatio.

Rerum creatarum, quas Deus nostrę disputationi subiecit causas inquirere fert animus, nec obliti sumus illud Poetę:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Quasi significatum voluerit, ei qui ad Philosophiam accedit feliciter potius veritatem esse divinandam, quam assequendam. Nihil quidem hac cognitione utilius, nihil jucundius, ut propterea cum veteres tum recentiores multi assiduo labore, diligentia, studio suas cogitationes defixerint omnes ut rerum causas pene dixerim, venarentur. Verum post tot exantlatos labores, tot vigilatas noctes, post tot monumenta eruditione plenissima quę posteris demandarunt absit verbo invidia: Veritas in multis adhuc latet. Quidquid tamen hoc sit, facem nobis in rerum causis cognoscendis pręclarissimam prętulerunt inter veteres Aristoteles omnium quotquot fuerunt facile princeps Democritus Epicurus, aliique: inter recentiores Tycho Brahé, Nicolaus Copernicus, Petrus Gassendus, Renatus Cartesius, Galileus, Borellius et alii plurimi quos recensere non vacat. Nos nullius addicti jurare in verba magistri ab iis divina suffragante sapientia eiusque Parente amantissima ea seligemus, quę vestro profectui maximè conducere vide-

bantur. Utinam quemadmodum ego munus hoc docendi ad maiorem Dei gloriam libenter subeo ita vos audiendi, discendique labor non deterreat.

Institutiones Logicæ.

Caput proemiale.

De cognitionibus intellectus in communi.

1.

Plerique consueverunt in ipso limine Logicæ summulas tradere quæ nihil aliud sunt, quam brevis quædam rerum fusius dicendarum summa continent autem explicationes terminorum, regulas, et præcepta, quibus in operationibus nostri intellectus dirigamur. Operæ tamen pretium putavimus esse antequam has regulas tradamus inquirere quot et quibus modis noster intellectus operetur.

2.

Dico igitur triplici modo operari intellectus: Vel enim cum aliquot obiectum ipsi offertur et illud cognoscit aliquid de illo affirmat, aut negat vel nihil affirmat et nihil negat: si nihil affirmat, et nihil negat, dicitur ea cognitio simplex

apprehensio, et est prima operatio intellectus. Si aliquid affirmat aut aliquid negat, dicitur ea cognitio judicium negativum quidem si negat, affirmativum si affirmat, et est secunda operatio intellectus. Praeterea cum intellectus judicando fertur in aliquot objectum vel sistitur in eo judicio vel progreditur ad aliud ex vi connexionis quam unum habet cum alio. Si progreditur est tertia operatio intellectus seu tertius cognoscendi modus, et dicitur discursus.

N.o 3.

Exemplo res clarior fiet. Musaeum aliquot visurus Principis domum adis, vides gemmas, picturas, statuas numismata aliaque id genus, vixque in illis defixis oculos ad alia videnda progrederis nihil affirmando nihil negando, placeant nec ne quae vidisti. Cognitio quam de illis habuerit simplex apprehensio, nam certè quae oculis subjiciuntur in phantasiâ depinguntur, et ab intellectu percipiuntur. Si verò dum ea intueris aliqua tanquam antiqua probas, et affirmas esse affabrè ellaborata tua cognitio est judicium et quidem affirmativum. Si aliqua tanquam fictitia reprobas, tua cognitio est ju=

dicium negativum tamen. Tandem si dum ex alio in aliud conclave transis, magnitudine et copia rerum deprehensus, infers aut studium Principis in eligendo, aut divitias in coemendo, aut diligentiam in servando ea cognitio est discursus; Nam intellectus habita harum rerum immagine ab hoc judicio: Omnia sunt bene elaborata: Progreditur ad hoc aliud: ergo Princeps est dives, studiosus, diligens propter connexionem quam habent inter se hæc rerum pulcherrimarum copiâ cum divitijs, studio, et diligentiâ Principis.

N.o 4.

Objicies. 1. Cum alijs qui contendunt tribus operationibus intellectus a nobis traditis addendas esse methodum, dubitationem, admirationem, suspicionem. Probant autem quia hæ operationes ad nullam ex assignatis revocari possent, neque enim per methodum intellectus simpliciter obiecta percipit, neque aliquid affirmat aut negat neque discurrit sed solum cognitiones et discursus jam præhabitos ordinat et in suas veluti classes disponit. Idem di=

cendum de dubitatione.

N.° 5.

Respondeo hanc obiectionem urgere eos, qui primam operationem intellectus dicunt esse simplicem obiecti perceptionem aut ideam, quæ excitari solet vel ad rei præsentiam vel audito rei nomine. Nos autem qui intellectus operationes divisimus per membra contradictoria nihil urget, nam ut inferius videbimus huiusmodi divisio semper est adequata. Vel enim per methodum idem intelligendum de cæteris intellectus aliquid affirmat aut negat vel non: si non affirmat aut negat pertinet ad simplicem apprehensionem. Si affirmat aut negat quæro vel infert aliquid, vel non infert: si nihil infert erit judicium, si quid infert, erit discursus.

N.° 6.

Instabis ad quam operationem ex tribus assignatis revocanda tandem erit methodus, ad primam ne an ad secundam, an ad tertiam? Respondeo

cum distinctione: si intellectus per methodum non judicat ad primam pertinet, si judicat ad secundam si ex uno judicio ad aliud progreditur pertinet ad tertiam. Videtur tamen quod intellectus per methodum non judicat sed solum prehabita judicia discursus et apprehensiones disponat atque ideo ad primam operationem pertineat. Neque est cur aliquis dicat hoc ipso deterius methodum non esse simplicem obiecti perceptionem, aut imaginem; sicut enim plures dantur, et diversæ argumentationum species quæ omnes ad tertiam operationem revocantur, sic dantur plures species cognitionum simplicium, quæ ad primam revocandæ sunt. Itaque vel methodus sit perceptio obiecti vel non hoc ipso quod nihil affirmat, aut negat ad primam operationem pertinet.

N.o 7.

Obijcies secundo. Ex regulis rectæ divisionis suo loco tradendis. Non est bona divisio orbis terrarum in Europam Asiam Africam Americam et Italiam, quia Italia includitur in Europa. Ergo non est bona divisio operationum nostri intellectus cum simplex apprehensio includatur in judicio, et judici=

um in discursu. Respondeo concedo antecedens, et
nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Ita=
lia continetur quidem in Europa tanquam pars in toto:
simplex verò apprehensio, quę nihil affirmat, et
nihil negat nullo modo continetur in judicio seu
in ea operatione quę aliquid affirmat aliquid negat:
Et judicium, quod solum affirmat aut negat ali=
quid nullo modo continetur in discursu, seu in ea
operatione, quę prętereà ad aliud progreditur. Un=
de quamvis apprehensio includeretur in judicio tan=
quam pars ità ut judicium constituatur esse opera=
tio composita ex duabus partibus, quarum altera
sit perceptio obiecti altera judicium ipsum, tamen
prima pars pro ut conjuncta est cum alia parte
non esset simplex apprehensio: iam enim affirma=
ret, aut negaret aliquid. Sed quod affirmat aut
negat, non est amplius apprehensio: ergo quando
conjungitur cum altera parte, non est apprehensio.
Idem intelligendum de judicio comparativè ad discursum.
Exemplum desumi potest a numeris, sicut enim
numeri ex Aristotele semper sumuntur exclusivè,
ità ut ternarius verè non includatur in quinario.
Nam ternarius est triplex unitas cum exclusione
aliarum unitatum; Ità simplex apprehensio non
includitur in judicio, quia excludit omnem af=

firmationem, et negationem.

N.o 8.

Quaeres: quando cognoscitur judicium ab altero factum e.g.: Petrus est doctus: quam cognitionem habet intellectus. Respondeo vel illud judicium purè repraesentatur intellectui, qui, dum illum contemplatur, suspensus manet. vel assentitur aut dissentitur illi veritati. Si primum ex dictis erit simplex apprehensio: si secundum erit judicium; Non enim quotiescumque habetur in aliquo intellectu judicium, habetur ab illo, et judicat ille intellectus; Quis enim dicat sanctissimum Regem David, cum ait salmo decimo tertio: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, negasse existentiam Dei quam summopere diligebat. Ut Habebat quidem judicium repraesentativè seu obiectivè quatenus in eius intellectu tanquam in speculo repraesentabatur judicium alterius; non autem habebat effectivè scilicet hoc judicium ab eius intellectu non producebatur.

Caput primum.

De iis quæ spectant ad primam operationem intellectus.

Articulus primus.

Quid sit signum, quid voces, quid terminus.

N.° 9.

Optime inquit Cicero libro primo de Oratore: hoc uno præstamus vel maxime feris quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. Ut itaque res altius repetatur signum ex S.º Aug.º l. 2 de doctrina Christiana c. 1. est illud quod præter speciem sui, quam sensibus ingerit, aliquid aliud ex se facit venire in cognitionem. Sic fumus e.c. præter speciem sui, quam sensibus exibet, ignem etiam repræsentat. Dividitur signum in naturale, et ad placitum hominum. Fumus est signum naturale ignis, respiratio vitæ. Signum ad placitum est laurus, qua caput cingitur victorum vel appensa publicis diversoriis, quæ solum ex arbitrio hominum instituta est ad id significandum.

N.° 10.

Voces etiam ipsæ, quibus inter nos colloquimur, sunt

signum et verbum quod foris sonat signum est verbi quod intus latet inquit Aug. l. 15 de Trin. Natura enim ait Horatius effert animi motus interprete lingua. Vox ab Aristotele l. 2 de Anima definitur: Sonus ex ore animalis prodiens et per apulsionem aeris a pulmonibus in fauces incurrentis, et allisi formatus: Atque ut a nobis sumitur definiri potest. Sonus articulatus ab homine solo prolatus ad exprimendas animi cogitationes.

N.° LL.

Quaeri hic solet utrum voces significant ad placitum, et ex hominum institutione an ex natura sua. Stoici putarunt olim significare ex natura sua id inferentes ex quadam affinitate vocis, aut soni cum ipsa re significata ut sunt istae voces murmur, stridor &c. Et certè cum legimus in Poetâ:

Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Aut quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Equus nobis exhibetur incedere, et vis magna grandinis decidere. Sed verius est voces significare solum ex placito et institutione hominum cum plures voces non habeant istam affinitatem cum re significata, et iisdem vocibus plura exprimamus, et quae in una regione aliquid significant, diversum omninò

in aliis regionibus exprimant, ut verè dixerit Horatius:

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quam penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

N.° L 2.

Terminus ut consideratur a Logica ex Aristotele pr. li: est id in quod resolvitur propositio tanquam in subiectum, et prædicatum: Propositio autem est oratio affirmativa, vel negativa alicuius de alio. Ut hæc intelligantur supponendum est in omni propositione v. g. Petrus est Homo. tria esse. 1. Petrus qui dicitur subiectum, et est id, de quo aliquid dicitur: 2. Homo, qui dicitur prædicatum, et est id, quod de illo dicitur: 3. est nexus horum terminorum, seu copula negativa, vel affirmativa, quæ exprimitur per verbum est, non est. Reliqua omnia, si quæ sunt in propositione dicuntur affectiones terminorum, ut si quis dicat. Petrus doctus est benè canens, vox illa doctus est affectio subiecti et vox benè est affectio prædicati. Notatum hic volo, terminum esse id, in quod resolvitur propositio non utcunque, potest enim resolvi in silabas, sed tanquam in subiectum et prædicatum.

Articulus Secundus.

Variæ terminorum divisiones.

N.° 13.

Explicatâ definitione termini tradendæ sunt eius divisiones. Ac primò quidem occurrit divisio termini in significativum, et non significativum. Ille est vox assumpta ex hominum consensu ad significandum aliquid, ut calamus, paries, &c. Hic est vox quædam, sed nullo hominum consensu assumpta ad significandum aliquid a se distinctum v.g. Blitri.

N.° 14.

Terminus significativus alius est communis, et pluribus competens, ut homo: alius singularis ut Petrus qui convenit uni homini, in quantum significat talem individuam personam humanam licet materialiter dicatur de pluribus. Quæres, utrum hoc nomen Deus sit commune an singulare: Rx. non esse commune. Nam licet hæc vox Deus significat naturam Divinam tribus personis communem, non tamen significat naturam multiplicatam in tribus; Non enim sunt tres dij, sed unus est Deus. Adde tamen non videtur concedendum esse omninò singulare, Nam licet significat unum numero Deum, non tamen significat unitatem Divinitatis communem uni tantum personæ sed tribus: Nec mirum esse aliquid in divinis cui nihil simile reperiatur in creatis,

N.^a L5.

Terminus communis alius est transcendens, alius non transcendens: Transcendens est, qui de rebus omnibus tum existentibus, tum possibilibus prędicatur unde dicitur per omnia rerum genera, et differentias vagari: Huiusmodi sunt termini quorum litterę initiales continentur hac barbara voce reubau, nimirum res, ens, verum, bonum, aliquid, unum. Non transcendens est, qui de rebus tantum unius generis vel speciei dicitur, ut substantia, corpus, animal. Addunt alij terminum supra transcendentem v.g. cogitabile, cognoscibile eo quod putant convenire etiam impossibilibus. Sed quantum aberrent a veritate ipsi viderint, cum enim obiectum intellectus non sit nisi verum, si verum dici de impossibilibus non potest, de ijsdem neque dici poterit cognoscibile, aut si cognoscibile de illis dicatur, dicatur etiam verum.

N.^o L6.

Tertio. Terminus communis dividitur in univocum, ęquivocum, et analogum. Univocus est ille, qui dicitur de pluribus similibus secundum rationem importatam per nomen ut ~~canis~~ homo: Ęquivocus est qui dicitur de pluribus omninò dissimilibus secundum rationem importatam per nomen, ut canis, leo, quę voces significant tum terrestre animal, tum cęleste

sidus. Analogus est qui convenit pluribus secundum rationem importatam per nomen partim similibus partim dissimilibus, ut sanum, quae vox dicitur de homine quatenus est subiectum sanitatis, de medicina, quatenus est causa sanitatis, de colore, quatenus est indicium: Quae tria licet important diversas rationes per nomen habent tamen aliquam connexionem et ordinem inter se quia eadem sanitas, quae est in homine efficitur a medicina, et indicatur a colore.

N.° 27.

Quarto dividitur terminus in distributivum et collectivum. Collectivus est, quid pluribus dicitur simul sumptis ut exercitus, populus, qui termini non possunt dici de singulis militibus et civibus. Distributivus, seu divisivus est, qui dicitur de pluribus et etiam de singulis seorsim sumptis ut homo, animal &c.
Quinta divisio termini in categorematicum, et syncategorematicum, quae duae voces Graecae idem valent ac latine significativus, et consignificativus. Primus est, qui ex se solo ita significat, ut possit esse in propositione subiectum et praedicatum v.g. homo, equus. Alter est, qui secundum se sumptus non habet determinatam significationem nec potest esse in propositione subiectum et praedicatum, nisi cum aliquo

categoremata expresse vel tacite coniungatur: Huiusmodi termini sunt aliquis, omnis, nullus.

N.o L8.

Sexto dividitur terminus in absolutum, et connotativum. Absolutus est qui aliquid significat sine ordine, et relatione ad aliud ut homo Petrus. Connotativus, seu relativus est, qui aliquid significat cum ordine, et relatione ad aliud ut Pater, magister, servus; Non enim intelligi potest Pater quin simul intelligatur vel habuisse, vel habere filios. Ubi notandum, omnia nomina adiectiva esse etiam connotativa; Nam Sanctus dicit ordinem, et relationem ad Sanctitatem, et etiam quedam substantiva ut exempla allata, et cena que connotat tempus vespertinum.

N.o L9.

Septimo dividitur terminus in finitum, et infinitum, vel potius infinitatum. Finitus est, qui ità predicatur de subiecto ut affirmetur aliquid, quod est, v.g. in ista propositione Petrus est homo, terminus homo ità predicatur de Petro ut affirmetur quid ille sit. Infinitus est, qui ità predicatur de subiecto, ut affirmetur determinatè aliquid, quod non est v.g. in ista propositione Petrus est non leo, in qua terminus non leo

prædicatur de Petro determinat quidem quod non sit, sed non determinat quid sit.

N.° 20.

Octavo dividitur terminus in abstractum, et concretum. Concretus est qui significat compositum ex subiecto, et formâ: Abstractus est qui significat solam formam subiecto inhærentem. Nomine autem subiecti intelligitur id quod exprimitur per modum rei habentis: Nomine formæ intelligitur id quod exprimitur per modum rei habitæ, ut si dicas album dulce intelligitur et res, quæ habet in se albedinem et dulcedinem qualis esset paries lac, et simul intelligitur albedo, et dulcedo. Porrò albus est terminus concretus, et paries dicitur subiectum albedinis, et albedo dicitur forma inhærens subiecto. Ipsa autem albedo erit terminus abstractus.

N.° 21.

Iam verò ratione formæ triplex est concretum, et triplex abstractum. Si forma non sit realiter distincta a subiecto esto distinguatur per intellectum ut humanitas ab homine homo dicitur concretum metaphysicum. Si forma sit realiter distincta a subiecto, et illi unita ut albedo, respectu parietis albi terminus albus dicitur concretum physicum: Si forma non solum sit realiter

distincta, sed etiam separata a subiecto, et ipsi extrinseca, ut cognitio respectu obiecti cogniti, terminus cognitus dicitur concretum Logicum. Hoc tamen intelligendum regulariter et ordinariè; Nam cognitio qua Deus cognoscit se ipsum, et cognitio suprà se ipsam reflectens non sunt formæ distinctæ, et multò minus extrinsecæ subiecto, in quo sunt.

N.° 22.

Concretum dicitur sumi quidditativè, seu reduplicativè cum significant in recto, et subiectum et formam, ut sunt concreta omnia metaphysica in quibus cum forma non distinguatur a subiecto, significant simul subiectum et formam. Dicitur sumi denominativè, seu specificativè cum significat subiectum in recto, formam in obliquo: Ut sunt concreta omnia physica et Logica in quibus forma realiter distinguitur a subiecto. Illud verò dicitur importari in recto pro quo supponit terminus, et illud dicitur significari in obliquo, pro quo terminus non supponit. Sic cum dicimus paries albus, obiectum cognitum isti termini supponunt solum pro subiecto nempè pariete habente albedinem et pro obiecto terminante cognitionem, quamvis in obliquo simul intelligamus albedinem et cognitionem. Denominativa fiunt quidditativa, si adjungas particulam reduplicantem

quæ eſset ut, prout, quatenus &c. dicendo paries albus prout albus. Tunc enim non supponit pro solo subiecto albedinis, sed etiam pro forma.

N.º 23.

Nono dividitur Terminus in primò intentionalem, et secundointentionalem. Intentio est actus, quo intellectus tendit in obiectum. Itaque terminus primæ intentionis est, qui repræsentat rem prout est in se independenter a quocumque actu antecedenti intellectus, ut homo. Terminus secundæ intentionis est qui repræsentat rem prout substat alteri actui intellectus: Huiusmodi Termini sunt species, genus, cognitum. Cum enim dicimus, homo est species, actus iste intellectus, supponit alterum actum, per quem intellectus cognoverit, hominem componere speciem aliquam.

N.º 24.

Ultima divisio termini est in pertinentes et impertinentes. Hi sunt quorum neuter ad alterum pertinent, nec se inferunt, nec se excludunt, ut pictor, musicus. Potest enim idem esse pictor, et idem musicus, et potest esse alterutrum. Pertinentes sunt, qui vel se inferunt, vel se excludunt, et subdividuntur in pertinentes sequela, et pertinentes repugnantia: Primi sunt, quorum unus

alterum infert: Si illatio ſit mutua dicuntur convertibiles, ut homo riſsibile, Valet enim inferre: Eſt homo ergo eſt riſsibile: Et vice versa, eſt riſsibile, ergo eſt homo. Si illatio non ſit mutua, ut homo, animal, dicuntur non convertibiles. Si enim valet inferre eſt homo ergo eſt animal, non valet, eſt animal, ergo eſt homo. Pertinentes repugnantia ſunt, qui ſe mutuò excludunt, ut homo, lapis; Non enim qui eſt homo poteſt eſſe lapis. Ex his alij vocantur diſparati, quia nullam habent connexionem, et nequeunt in una natura conjungi ut lapis, canis: Alij ſunt oppoſiti relativè ut pater, filius: Alij contrarie ut calor, frigus; Alij privativè ut videns, cæcus, alij contradictorie, ut videns non videns.

N.º 25.

In tam multiplici et tricosa terminorum diviſione videntis profectò eoſdem terminos diverſam denominationem sortiri prout vel intellectus in obiecta ſibi propoſita tendit, vel invicem comparat inter ſe.

Caput Secundum.

De proprietatibus terminorum.

N.º 26.

Cum pluribus modis voces et terminos pro rebus ipſis in oratione adhibere conſueverimus, factum eſt, ut termi=

norum proprietates distinguerentur omnino septem. Sunt suppositio, status, ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, seu distractio, et appellatio. Suppositio idem est positio unius loco alterius. Sic in ludendo lapillos ponimus pro nummis, et statuæ vel immagines sacræ ponuntur in aris loco Sanctorum tum ut signa sensibilia, quæ nos inducant in cognitionem eius Sancti quem repræsentant, tum ut in illis exhibeamus Sanctis eum cultum, quam ipsis exhiberemus, si adessent. Dividitur in materialem, et formalem. Materialis est cum terminus pro se ipso accipitur, non pro re significata ut si dicas homo est vox: Formalis est cum terminus sumitur pro re significata ut si dicas homo est animal. Hic enim terminus animal non prædicatur de voce homo, sed de re per vocem significata.

N.° 27.

Suppositio formalis dividitur in simplicem et personalem. Personalis est cum utimur aliquo termino ad significandum id quod illi convenit a parte rei, scilicet independenter a nostris cognitionibus, quæ vocantur secundæ intentiones Logicæ. Ut cum dicimus: Petrus est homo: esse enim hominem convenit Petro nullo intellectu cogitante. Suppositio simplex est cum utimur aliquo termino ad significandum id quod illi convenit dependenter ab illis nostris cognitionibus, ut cum

dicimus homo est species: Esse enim speciem convenit homini dependenter a nostro intellectu, qui considerans naturam humanam in omnibus similem, omnia eius individua includit sub una specie.

N.° 28.

Si termino, qui formaliter supponit, praeponatur aliquod sincategorema tunc suppositio formalis eius termini triplex est, collectiva, distributiva, et disiunctiva. Collectiva cum terminus universalis supponit pro omnibus suis inferioribus simul sumptis: Ut omnes Apostoli sunt duodecim; Non enim hoc praedicari potest de singulis, sed de omnibus simul. Distributiva cum terminus universalis supponit pro omnibus inferioribus etiam seorsim acceptis. Ut omne animal est vivens, quia de singulis animalibus praedicari potest vivens. Haec autem erit completa et dicitur supponere pro singulis generum si etiam ad individua descendat ut in eadem propositione, omne animal est vivens: Erit incompleta, et dicitur supponere pro generibus singulorum si solas species complectatur, ut si dicam omne animal fuit in arca Noe, in qua propositione terminus universalis omne animal supponit tantum pro speciebus.

N.° 29.

Disiunctiva cum terminus universalis affectus sincatego=

renuate particulari aliquis supponit terminus pro aliqui=
bus, quæ significat: Hæc autem est duplex; Si ita præ=
ponitur idud sincatagorema, ut sit assignabile id,
pro quo supponit, erit disiunctiva determinata ut si
dicas aliquis homo currit: si non sit assignabile id
pro quo supponit erit disiunctiva confusa, et indeter=
minata ut si dicas aliquis oculus est necessarius ad
videndum.

N.° 30.

Ex suppositione oritur, propositiones aliquas dici de subiec=
to non supponente, et sunt illæ quæ vel enunciant præ=
dicatum, quod ex unâ parte non potest convenire nisi
rei existenti, et ex alterâ subiectum illius propositionis
non existit ut si dicas de homine jam mortuo esse cali=
dum, vel frigidum: Vel enunciant prædicatum, quod non
potest convenire nisi subiecto possibili, et subiectum illius
propositionis possibile non est: ut si dicas, alter Deus
est Omnipotens: in his enim propositionibus non tam
negatur propositio, quam potius suppositum, cum nec
sit possibilis alter Deus, et id quod non existit, non sit
neque calidum, neque frigidum.

N.° 31.

Status est acceptio termini pro tempore significato

ꝑ copulam ut in hac propositione homo justus est amicus Dei, Nam pro quo tempore justus est, pro eodem est Dei amicus. Ampliatio est extensio termini ad significandum pro tempore alio, ac significatur ꝑ copulam: Ut si legas in Evangelio: Cæci vident, claudi ambulant &c. ubi subiecta ida sumuntur ampliativè, Neque enim cæci, et claudi pro tempore eodem, pro quo de illis affirmatur quod vident, et ambulant, verè vident, et verè ambulant; sed intelligitur ut qui fuerant cæci, et claudi reddito illis ꝑ Christum Dominum oculorum, et pedum usu videant, et ambulent.

N.° 32.

Restrictio fit cum amplior significatio termini ad pauciora contrahitur ut cum dicimus philosophum pro Aristotele Oratorem pro Marco Tullio ubi nomen philosophus, et Orator pluribus communis ex modo loquendi restringitur ad significandum unum Aristotelem, et Ciceronem. Diminutio est ida, per quam aliquis terminus ratione alicuius additi a significatione totius traducitur ad significandam partem, ut si dicas Ethiops est albus secundum dentes, in qua propositione terminus albus limitatur ad significandam partem aliquam corporis in Ethiope:

N.° 33.

Alienatio seu distractio est, cum terminus usurpatur non in propria significatione sed aliena ut homo pictus, ubi terminus homo transfertur ad significandam immaginem hominis. Et ad hanc revocantur omnes metaphoræ, ut prata rident &c. Appelatio demum est, cum terminus pluribus communis usurpatur ad significandum unum potius quam alterum ex duobus, ut si dicas Antoninus philosophus fuit optimus Imperator, ubi terminus philosophus addinis Antonino significat ex duobus Antoninis optimum fuisse Imperatorem unum potius quam alterum.

Caput Tertium.
De definitione.
N.° 34.

Si veritatem scrutari ad philosophum spectat nulla res est quæ clariorem afferat lucem, quam definitio, divisio, et argumentatio qui propterea dicuntur modi sciendi, quia iis ideas tanquam instrumenta veritatem assequimur. Definitio itaque statuitur ab Aristotele esse orationem explicantem rei naturam. Pertinet illa ad primam operationem intellectus, quia definitio est idea quod intellectus cognitis terminis primo apprehendit in obiecto. Duplex est alia nominis, alia rei. Definitio nominis eadem est ac ethimologia, quæ

clarius exponit nomen et eius originem, ut Conſul eſt, qui Patriæ conſulit. Definitio rei eſt illa, quæ explicat naturam nihil curando de nomine ut ſi definias hominem animal rationale.

35. Hæc autem duplex eſt alia eſſentialis, alia deſcriptiva: Eſſentialis eſt, quæ explicat naturam rei per partes illas, ſeu principia quæ rem ipſam ita conſtituunt, ut ſine illis omninò eſſe non poſſit: Cum autem hæc principia poſſint eſſe phyſica vel metaphyſica ideò definitio eſſentialis alia erit phyſica, alia metaphyſica: Si hominem definias: compoſitum ex anima, et corpore ſimul unitis, erit definitio eſſentialis phyſica, quia corpus anima et unio ſunt principia phyſica hominis: Si hominem definias: animal rationale erit definitio eſſentialis metaphyſica, quia hæc duo prædicata vocantur partes metaphyſicæ hominis.

36. Definitio deſcriptiva eſt, quæ rem explicat per ea prædicata, quæ non conſtituunt eſſentiam rei: Si hæc prædicata rei conveniant inſeparabiliter dicitur propria, ut ſi dicas homo eſt animal ſcientiarum capax: Si per prædicata accidentalia quæ nimirum ita rei conveniant, ut poſſint etiam ab illa ſeparari dicitur accidentalis, ut ſi dicas: Homo eſt animal pulchrum implume, bipes, habens caput erectum: Si rem explicas per cauſas, erit definitio cauſalis. Cum autem cauſa multiplex ſit pro varietate cauſarum, varium nomen habebit definitio.

si Eclipsim Solis v.g. definias interpositionem Lunæ So=
lem inter, et terram erit definitio, seu descriptio per
causam efficientem: si hominem definias: Animal factum
ad immaginem Dei erit definitio per causam exemplarẽ:
si definias animal creatum ut Deo fruatur in æter=
num, erit definitio p. causam finalem, et sic de cæte=
ris.

37. Illa tamen vera definitio dicitur, quæ constat gene=
re ultimo et differentia prima, ut est illa receptis=
sima hominis definitio: animal rationale. Animal primò
dicitur genus quia convenit pluribus etiam differenti=
bus specie. Convenit enim homini, equo, Leoni &c.
Secundo dicitur ultimum, quia est genus minus uni=
versale et convenit paucioribus speciebus, quod non
esset hoc prædicatum substantia, quæ convenit etiam
Spiritibus. Deinde rationalis dicitur differentia, quia
hoc prædicatum additum alteri prædicato animal distin=
guit illud genus ab omnibus, quæ significaret, ità ut
solum designet hominem. Dicitur denique differentia
prima, quia est prima veluti radix unde cæteræ pro=
prietates emanant in homine.

38. Sed quia difficile est in omnibus rebus hoc genus ulti=
mum, et differentiam primam invenire, hinc in ex=
plicandis rebus utimur potius descriptione quam rigo=
rosa definitione. Sufficit enim ad intelligendas res phy=
sicas clarior aliqua explicatio, quin superstitiose serve=
mus, quod volunt Logici. Quæcumque tamen definitione

utamur tres regulae prae oculis habendae sunt. Prima est ut definitio sit clarior re definita. Contra hanc regulam peccat definitio temporis tradita ab Aristotele: Numerus, et mensura motus secundum prius, et posterius: Magis enim obscurat cognitionem temporis, quam illustrat. Secunda est ut definitio sit brevis, et nihil sit, quod demere possis. Contra hanc regulam peccaret qui definiret hominem Animal rationale mortale. vox enim mortale omnino redundat, et satis includitur in voce animal. Tertia est ut definitio convertatur cum re definita, nempe ut quidquid affirmatur de definito, affirmetur etiam de definitione. Contra hanc legem peccavit Plato cum definivit hominem: Animal implume bipes merito reprehensus a Diogene qui gallum gallinaceum detractis plumis mediam in Academiam proiiciens en inquit homo Platonis, innuens definitionem a Platone traditam gallo etiam gallinaceo convenire.

39. Ad evitandas tricas, quas aliqui movere possunt tyronibus, notandum est cum dicimus, definitionem debere convenire pluribus, intelligendum esse de pluribus quoad essentiam specificam, non quoad essentiam individualem.

Caput Quartum.
De divisione.

40. Alter sciendi modus est divisio, quae, ut inquit Seneca, efficit, ut facilius per partes in cognitionem totius inducamur. Divisio est oratio totum distribuens in suas partes. Quemadmodum autem partes, in quas dividitur

totum aliæ sunt metaphysicæ, aliæ physicæ, aliæ integrantes, aliæ accidentales: sic divisio fieri dicitur in partes metaphysicas, physicas &c. divisio hominis in partes metaphysicas, quæ impropriè dicuntur partes, esset in animalitatem, et rationalitatem: Divisio hominis in partes physicas esset in corpus, et animam: Divisio in partes integrantes esset, si corpus humanum divideres in manus, pedes &c, quæ non constituunt nec constituunt essentiam corporis humani, sed solum spectant ad eius integritatem: Divisio in partes accidentales esset, si homines divideres in albos et nigros, magnos et parvos.

42. Duo præcipuè sunt leges bonæ divisionis. Prima est ut divisio adæquet ipsum totum, ità ut nec plura, nec pauciora membra sint in divisione, quàm in ipso toto diviso. Sic male divideretur orbis terrarum in Europam, Asiam, et Africam, quia deesset America; Et malè etiam divideretur in Europam, Italiam, Asiam, Africam et Americam, quia vox illa Italia omninò redundat. Secunda regula est, ut divisio paucis constet partibus; Aliter mentem potius obrueret, quam juvaret. Sic a Cicerone Hortensius Orator reprehendebatur, quod in tot partes orationes suas divideret, ut mentem auditoris confunderet. Sic etiam reprehenderetur qui orbem terrarum divideret in Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, Poloniam, Britanniam, Græciam, Hungariam, Persiam, Tartariam &c. Quis enim tot partes simul memoria teneat?

Caput Quintum.

De ijs quæ pertinent ad secundam operationem intellectus.

Articulus primus.

Quid sit propositio, et quotuplex.

42. Intellectus humanus sicuti vocibus indiget ad exprimendos conceptus suos, ita cognita significatione vocum, et apprehensis, perceptisque plurium rerum imaginibus, aliquos inter se convenire cognoscit, aliquos non convenire. Terminorum cognitionem animo conceptam exprimit per verbum substantivum est dicens: Petrus est homo, et hæc dicitur propositio affirmativa. Si terminos inter se non convenire cognoscat, disjunctionem terminorum exprimit præponendo verbo substantivo particulam negantem dicens: Petrus non est Angelus, et hæc dicitur propositio negativa. Non tamen necesse est ad habendam propositionem ut illa constet tribus vocibus, aliquando enim copula aliquando etiam subiectum reticetur, ut si dicas: Ego cogito: Vel existo. Utraque enim resolvitur: Ego sum cogitans: Ego sum existens.

43. Divisiones propositionum variæ sunt. Prima desumitur a qualitate, et dividuntur in affirmativas, et negativas. Affirmativa conjungit prædicatum cum subiecto, negativa disjungit. Ubi notandum, quod in negativa particula non debet cadere supra vinculum terminorum. Si enim caderet supra subiectum vel prædicatum esset affirmativa, ut Angelus est non corpus, æquivalet huic: Angelus est aliquid a corpore diversum.

44. Secundo ratione subiecti seu quantitatis dividuntur in universales, particulares, singulares. Universales sunt cum iis præponitur sincategorema omnis, nullus, vel ponuntur adverbia semper, nunquam, ut si dicas omnis homo est iustus: nullus homo est lapis: Triangula semper habent angulos æquales duobus rectis: lineæ parallelæ nunquam coniunguntur, quæ omnes propositiones sunt universales. Particulares sunt cum iis præponitur sincategorema aliquis, vel quid simile, ut aliquis homo currit. Singulares sunt, quæ de uno tantum affirmantur vel negantur, ut Petrus est doctus.

45. Tertio ratione materiæ dividuntur in necessarias, impossibiles possibiles contingentes. In materiâ necessariâ sunt illæ, in quibus prædicatum necessariò convenit subiecto, ut homo est animal, vel necessariò repugnat eidem subiecto, ut homo non est lapis. In materia impossibili dicuntur illæ, in quibus prædicatum penitus repugnat subiecto ut homo est lapis, homo non est animal. In materia possibili sunt illæ, in quibus prædicatum non convenit, sed potest convenire subiecto, et ferè coincidunt cum illis quæ dicuntur in materia contingenti ut si dicas, Petrus currit Petrus est albus, Per accidens enim illi contingit, quod currat, quod sit albus. Notandum est propositiones in materia necessaria, vel impossibili esse universales, quamvis nullum sincategorema præponatur, ut homo est animal, hoc enim cum necessariò prædicatur de homine, idem est

ac dicere omnis homo est animal. Universales ac sunt propositiones scientificæ ut demonstrationes mathematicæ e.g. triangula habent angulos æquales duobus rectis, quod verum est de omnibus triangulis. Si propositio sit in materia contingenti vel possibili, æquivalet particulari: idem enim est dicere homo currit, ac dicere aliquis homo currit.

46. Quarto ratione formæ dividuntur propositiones in veras et falsas, veritas consistit in conformitate cum obiecto, falsitas in disformitate. Si res ità est ut dicitur propositio est vera, si non ità est, propositio est falsa. Unde vero desumendum sit, vera sint, ~~[illegible]~~ an falsa quæ dicimus alibi videndum.

47. Prætereà propositio quinto dividitur in simplicem, et compositam. Simplex est, quæ habet unum subiectum, et unum prædicatum, atque adeo non potest resolvi in plures propositiones, ut cum dicimus: homo est animal. Composita est, quæ plura habet subiecta vel plura prædicata, ut Petrus, et Paulus sunt docti. Utraque hæc propositio simplex nimirum et composita potest esse absoluta, vel modalis. Absoluta, quæ etiam dicitur de ~~[illegible]~~ inesse, est illa, in qua solum affirmatur prædicatum de subiecto sine ullo addito ut Petrus currit, modalis est, in qua non tantum affirmatur prædicatum de subiecto sed etiam ~~[illegible]~~ modus, quo eidem convenit ut Petrus studet diligenter: Anima operatur supernaturaliter.

48. Propositio composita dividitur in copulativam, disiunctivam, ~~[illegible]~~ causalem, conditionalem. Copulativa est, cuius partes coniunguntur particula et nec vel alia simili, ut si di=

cas: Et Petrus, et Paulus student: Nec Petrus, nec Paulus currit. Ad veritatem propositionis copulativæ requiritur ut singulæ partes, quæ afferuntur in subiecto aut prædicato sint veræ. Si enim studeat Petrus, et Paulus non studeat, hæc propositio Petrus et Paulus student falsa est.

49. Propositio disjunctiva est illa, cuius partes afficiuntur particula vel aut &c. ut si dicas vel Petrus vel Paulus studet. Ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit, ut alterutra pars sit vera. Si enim solum Petrus currat, et Paulus sedeat adhuc vera est propositio allata: Si autem neuter studeat, propositio est falsa. Disjunctivæ aliquæ dicuntur esse æternæ, et necessariæ veritatis, quamvis singulæ partes sint contingenter veræ: Nam necessaria omnino est hæc veritas: Petrus studet vel non studet, licet contingens sit, quod studeat et contingens etiam sit, quod non studeat.

50. Causalis est illa, quæ enunciat unum esse causam alterius, ut hæ propositiones: Quia Sol est, dies est: ideo discessi ex Urbe, quia Princeps præcepit. Ad veritatem huius propositionis præcipuè requiritur, ut illud, quod assumitur ut causa, verè sit causa. Cum enim dicimus quia Sol est, dies est, neque affirmamus esse Solem, neque affirmamus esse diem, sed tantum Solem esse causam diei seu affirmamus connexionem phisicam inter Solem et diem. Contra si dicas: Quia ortus est Sol, Luna movetur, falsa est: Licet enim verè ortus sit Sol, et Luna moveatur, nullam tamen connexionem habet ortus Solis, cum motu Lunæ, quam connexionem affirmat tantum propositio causalis. Sicut

autem varia sunt genera causarum, ita connexio quę affirmatur in propositione diversa erit. Si asseratur causa physica, ut in ista propositione: Ideò calescit corpus, quia igni est admotum, connexio affirmata erit physica. Si asseratur causa moralis, ut in hac propositione, ideò hoc feci, quià pręceptum Principis urgebat connexio affirmata erit moralis et sic de cęteris.

51. Conditionalis seu hypothetica est illa, quę enunciat aliquid sub aliqua conditione v.g. Si petis gratiam a Deo, obtinebis. Illud si petis gratiam a Deo dicitur conditio, illud obtinebis dicitur conditionatum. Conditiones alię necessariò inferunt conditionatum, et dicuntur cum illo necessariò connecti necessitate vel metaphysica vel physica, vel morali. Illa dicitur necessitas metaphysica, quę neque a Deo vinci potest: Illa physica, quę per miraculum a Deo superari potest, ut de facto calor in igne superatus est a Deo in fornace Babilonis, ne comburerentur tres pueri: Illa moralis, quę non sine magna difficultate ab homine vincitur. Alię conditiones dicuntur disparatę, quià nullam omninò connexionem habent ut si dicas: Si ego dormio, Petrus studet. Quid enim commune habet somnus meus, et studium Petri.

52. Ad veritatem propositionis conditionalis sufficit in pręsenti requiri, ut detur aliqua connexio inter conditionem, et conditionatum, quam connexionem affirmat propositio, ità ut existente conditione existat conditionatum ex vi connexionis, quam habet conditio cum illo. Sic ad veritatem huius

propositionis. Si princeps jubet, me discedere ab Urbe, disce=
dam, requiritur ut existentia imperio Principis, tanquam
conditione exigat re ipsa discessus meus ab urbe ex vi con=
nexionis, quam habet huiusmodi imperium cum meo
discessu, licet hęc connexio sit solum moralis. Dixi suf=
ficit in praesenti, quia Theologi in huiusmodi propositioni=
bus, quę saepe recurrunt in Theologia alia requirunt
a quibus modò recedendum est. Solùm notandum, con=
ditionalem nihil ponere in esse juxta verum axioma
scilicet non requiritur quod conditio sit aut fuerit aut
futura sit, vel quod conditionatum sit de praesenti aut
fuerit, aut sit futurum; Non enim cum dicis: Si Prin=
ceps jubet faciam, affirmas esse imperium Principis,
aut obsequium tuum, sed solum connexionem inter impe=
rium et obsequium. Notandum secundò si assumatur condi=
tio impossibilis, propositio non est neque vera neque
falsa, ex Aristotele enim dato uno absurdo cętera acci=
dunt, scilicet ex impossibili quolibet sequitur.

53. Sunt etiam alię propositiones compositę, quę dicuntur
exponibiles, quia per alias propositiones clariores, et exponentes
explicantur. Et alię sunt exclusivę, ut si dicas: Oculus per=
cipit solum colores: Alię sunt exceptivę, ut cum dicis, omnes
mundi regiones cognitę nobis sunt pręter regionem Austra=
lem: Quę non indigent ulteriori explicatione.

Articulus Secundus.

De proprietatibus propositionum.

54. Si propositiones comparentur inter se tres proprietates nu=

numerantur conversio, æquipollentia, oppositio. Conversio logica propositionum est transpositio extremorum. Cum nimirum assumitur pro subiecto id, quod erat prædicatum, et pro prædicato id, quod erat subiectum ut nullus homo est Angelus, convertetur nullus Angelus est homo. Triplici modo fieri potest conversio, simpliciter, per accidens, et contrapositionem. Simpliciter fit cum servatur eadem quantitas extremorum ut in exemplo allato. Per accidens fit cum mutatur quantitas terminorum, ut omnis homo est animal, aliquod animal est homo in primâ enim quantitas propositionis est universalis, in secunda particularis. Per contrapositionem fit cum termini propositionis ex finitis adiectâ particulâ negativa non fiunt infiniti ut omnis homo est animal: omne non animal est non homo, quæ inutilis fortasse videtur.

55. Æquipollentia seu æquivalentia propositionum habetur, quando beneficio particulæ negativæ una propositio reducitur ad sensum alterius, atque adeò æquivalet alteri ut quidam homo est justus, non omnis homo est justus. Sed hæc etiam vix est ullius utilitatis.

56. Oppositio est repugnantia duarum propositionum, quæ idem subiectum habent et idem prædicatum: hæc autem repugnantia est vel in quantitate, vel in qualitate vel in utrâque. Quadruplex itaque oppositio propositionum, contradictoria, contraria, subcontraria, subalterna. Oppositio contradictoria est inter duas propositiones, quarum una est universalis, altera particularis. Una affirmans, altera negans.

Sic contradictoriæ sunt: Omnis homo est justus, aliquis homo non est justus, et istæ aliæ: Nullus homo est justus, aliquis homo est justus: Sicut etiam contradictoriæ sunt: Petrus studet Petrus non studet.

57. Ut duæ propositiones sint contradictoriæ requiritur, quod affirmetur, et negetur *idem de eodem secundum idem*. Scilicet secundum easdem circumstantias loci, et temporis. Quare contradictoriæ non sunt omnis homo est justus, aliquis homo non studet. Quia non affirmatur et negatur idem prædicatum in utrâque propositione. Contradictoriæ etiam non sunt: Omnis homo currit, aliquis equus non currit, quia non versantur circa idem ~~non~~ subiectum. Demum contradictoriæ non sunt Petrus studet hyeme Petrus non studet æstate: Petrus studet Paris, Petrus non studet Florentiæ; Quia mutatur circumstantia temporis, et loci.


58. Contradictoriæ propositiones primò non possunt esse simul veræ, et simul falsæ, quod nititur illi primo principio: *Idem non potest simul esse, et non esse*. Secundò inter contradictorias non datur medium, quod non solum intelligendum est de propositionibus, sed etiam de prædicatis contradictorijs. Ex illis itaque una semper vera est, altera falsa, et ex veritate unius infertur falsitas alterius.

59. Regula contradicendi afferri solet ex Aristotele præponere toti propositioni particulam *non* quæ dicitur *malignantis naturæ*. Sed nemo non videt, quam obscurè aliquibus propositionibus compositis hac ratione contradicatur. Dicat enim aliquis: Accidentia manent in Eucharistiâ sine subiecto: Contradicendum esset ex

Aristotele non accidentia manent in Eucharistia sine subiecto.
Quis autem intelliget sensum huius contradictoriæ? Modus ab Aris-
totele traditus servandus quidem videtur in propositionibus de subiec-
to non supponente, ut si dicas: Omnis Deus est Omnipotens, con-
tradicendum esset: Non omnis Deus est Omnipotens; exponitur
enim, vel non dantur plures Dii, vel singuli non sunt Omnipo-
tentes. Quod si contradiceres aliquis Deus non est Omnipotens, u-
traque contradictoria falsa esset, cum supponat multitudinem
Deorum. Cum autem hoc per accidens contingat, et solum ra-
tione materiæ, clarior videtur esse contradicendi modus, primo si
propositioni affirmativæ mutata quantitate præponas copulæ
particulam non ut omnis homo est iustus, aliquis homo non est
iustus. Secundo si propositioni copulativæ adiungas particulam
vel et reddas disiunctivam præponendo copulæ eandem parti-
culam ut Petrus, et Paulus currit, contradicitur vel Paulus, vel
Paulus non currit &c.

60\. Oppositio contraria est inter duas propositiones universales, qua-
rum una est affirmativa altera negativa, ut omnis homo est
iustus, nullus homo est iustus. Propositiones contrariæ possunt
esse ambo falsæ licet non ambo veræ, ut in exemplo allato.
Oppositio subcontraria est inter duas propositiones particula-
res, quarum una est affirmans, altera negans, ut aliquis ho-
mo est iustus, aliquis homo non est iustus; hæ possunt esse
simul veræ, non tamen simul falsæ, si supponant pro eodem.
Oppositio subalterna datur inter duas propositiones, quarum
una est universalis, altera particularis, sed utraque est vel af-
firmans vel negans. Hæc tamen oppositio propriè dici non

potest, cum particularis contineatur in universali ut, omnis homo est justus, aliquis homo est justus. Hae propositiones possunt esse ambo falsę et ambo verę et una falsa, altera vera. Singula exempla propositionum oppositarum subiecta tabella exponit.



Caput sextum de iis quae spectant ad 3am operationem intellectus.

Articulus primus.

61. Si ità comparata esset mens nostra, ut simul ac rem aliquam perciperet liceret ipsi cognoscere, quæ attributa ad eam perti=neant, nihil ultrà in rerum cognitione desideraretur. Cum tamen non semper in aperto sit natura rerum hinc ad res cognoscendas nobis non sufficit eas percipere, ab aliis distinguere, et de iis quo=dammodò judicium ferre, sed necessaria est ulterior quædam in=dagatio, per quam assequi possimus pleniorem rerum notitiam. Ad hunc finem assequendum concessus nobis est a natura alius cogitandi modus, quo cognita cum incognitis comparando tandem pervenimus ad notitiam incogniti, quod quærebamus. Hic cogitan=di modo ratiocinari dicitur intellectus, et ipsa comparatio et conclusio, quæ id sequitur ratiocinatio vel argumentatio dicitur, qui est tertius sciendi modus.

62. Quodlibet argumentationis genus vel est syllogismus, vel ad syllo=gismum revocatur. Syllogismus ex Aristotele est oratio, in qua quibusdam positis aliud quid a positis necesse est sequi eo quod hæc sint. Et significant syllogismum esse loquendi modum plu=ribus propositionibus compositum, in quo concessis duabus antece=dentibus, seu præmissis necesse est sequi conclusionem hac ipsa de causa, quod termini seu extrema conclusionis fuerit con=juncta cum uno tertio in præmissis. Sic exemplum in hoc syl=logismo omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Concessis præmissis necessario sequitur ergo Pe=trus est animal, quia duo isti termini Petrus animal con=juncti sunt in præmissis cum termino homo qui dicitur aliquod tertium ut infrà dicemus. Hoc vult Aristoteles in ea definitione.

63. Tribus itaque propositionibus constat syllogismus: Primę duę dicuntur pręmissę, tertia conclusio ex pręmissis prima dicitur maior altera minor seu assumptio. Termini dicuntur materia syllogismi dispositio eorum dicitur forma, Unde factum est, ut aliqui syllogismi dicantur concludere ratione materię, non verò ratione formę. Quoad conclusionem duo distinguenda sunt conclusio ipsa, seu illatio et veritas illata. Illatio necessariò sequitur, quia pendet à rectâ dispositione terminorum in pręmissis: Veritas illata sicuti non pendet à solâ dispositione terminorum, sed etiam a veritate pręmissarum, ità negari potest, si pręmissę verę non fuerint. Pręterea illatio seu consequentia una est et simplex, et negari quidem, aut concedi potest si contineatur vel non contineatur in pręmissis, numquam verò distinguì. Veritas illata, quę dicitur consequens, illa sicut habere potest duplicem sensum, sic distinctioni subjacet.

64. Qui ordo in argumentatione servari debeat videtur esse, ut intellectus ab iis, quę sunt ipsi magis nota simplicia, et maximè communia, gradatim ascendat ad ea, quę sunt magis composita, et magis ignota. Hunc ordinem videtur nos docuisse natura, cum tradidit ratiocinandi potestatem: Hunc servantes Mathematici suas propositiones demonstrant, quin in alterutram partem disputare liceat: Assumunt enim quędam axiomata seu veritates quasdam innatas, de quibus nemo dubitat, quę sunt: Totum est maius sua parte: Quę eidem ęqualia sunt et inter se sunt ęqualia: deinde unum aut alterum postulatum adjungunt, quo petunt, ut ipsis liceat ad conservandas vel demonstrandas suas propositiones aliquod facere, quod

ipsis necessarium videtur e.g. Quovis centro et intervallo cir=
culum describere posse inter duo puncta duci lineam rectam.
Atque ex his suas demonstrationes conficiunt, et certam veritatem
assequuntur, quin solliciti sint de regulis, et præceptis logicis, et
cuius figuræ, aut modi sint silogismus.

65. In silogismo itaque tres ad minimum termini diversimodè
copulandi requiruntur; Cum enim intellectus propositis duo=
bus terminis, eos non ità statim inter se convenire percipit ut
de propositâ veritate judicium ferre possit, assumere debet
aliquem alium terminum cum quo utramque partem propo=
sitionis conferat, et inde duas propositiones conficiat. Si in hac
comparatione inveniat convenientiam, vel disconvenientiam huius
tertij termini assumpti cum utroque extremo seu termino pro=
positionis ex eo tandem concludit illius propositionis extrema in=
ter se convenire vel disconvenire. Placet inquirere an Petrus
sit ~~doctus~~ animal. Si Petri, et animalis conjunctio per se statim
menti ocurrat et de eo claram et distinctam ideam habeat
simpliciter intellectus judicat Petrum et animal esse connexa,
et judicium affirmativum pronunciat Petrus est animal. Si
vinculum illud seu conjunctio non sit tam evidens, assumit in=
tellectus tertium terminum v.g. homo, cum quo et Petrum
et animal separatim compararet: Quod si inveniat Petrum et homi=
nem esse inter se connexos, et connexos etiam hominem, et ani=
mal, tunc ex hac duplici comparatione certus fit quod Pe=
trus et animal conjungantur. Atque ità quod simplici judicio co=
gnoscere primum non poterat ratiocinando est assecutus.

66. Iam verò terminus ille homo qui assumptus est ad demonstrandam conjunctionem subiecti cum prædicato dicitur medius terminus, seu argumentum, quia rationem suppeditat, qua intellectus hanc veritatem assequatur. De medij termini inventione plura conscripsit Aristoteles in Topicis, et communes locos excogitavit, ex quibus hæc argumenta desumi possent et conveniunt cum locis, qui traduntur in Rhetorica. Probare quis velit terram esse rotundam, medius terminus vel argumentum assumi posset huiusmodi: Terra a Sole illustrata projicit umbram conicam, et argumentatio sic procedet. Umbra conica projicitur a corporibus rotundis, terra projicit umbram conicam, ergo est rotunda.

Articulus Secundus.

67. Hoc est præcipuè Syllogismi principium, in quo nititur vis tota Syllogismi, est illud, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sit hic Syllogismus: Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Sic concludit consequentia ita, ut concessis præmissis negari omninò non possit. Ratio sola est quia duo identificantur cum tertio, nempè cum medio termino assumpto homo; Animal enim identificatur cum homine, Petrus identificatur cum homine ergo Petrus et animal identificantur inter se ergo optimè conjunguntur in conclusione hi duo termini Petrus, animal.

68. Ex isto principio ad rectam Syllogismi constructionem traduntur quatuor regulæ. Prima est ut sint tres tantum termini. Si enim ponantur plures quam tres, dicendo omnis homo est animal, Petrus

est homo, ergo Petrus est doctus, terminus ille *doctus*, qui affertur in consequentia, cum nullo termino allato in præmissis identificatur, atque adeò non potest inferri, quod identificatur cum Petro.

69. Secunda est, ut servetur eadem suppositio termini. Si enim mutatur suppositio dicendo: Omnis Canis latrat, quoddam cæleste sidus est canis, ergo quoddam cæleste sidus latrat, sunt quidem in hoc Syl=logismo tres termini *Canis*, *sidus*, *latrans*, sed tantum sunt tres quo=ad vocem, et quoad significationem vocis sunt quatuor. In maiori enim supponitur pro cane animali, in minori pro constellatione, atque adeò idem terminus canis quoad totam significationem vocis non identificatur cum tertio *latrans*, nec potest inferri in con=clusione identificari cum termino *sidus*. Distinguenda igitur est maior in his Syllogismis: Omnis canis latrat, sumpto termino *canis* pro animali concedo ma: omnis canis latrat sumpto illo termino pro omni sua significatione ne: ma: et concessa minori ne: cons:

70. Tertia regula est, ut medius terminus in alterutrâ ex præmissis accipiatur in totâ suâ latitudine, seu universaliter distribuatur. Si enim dicas, omne animal fuit in arcâ Noe, Petrus est animal, ergo Petrus fuit in arcâ Noe, nihil concludis, quia in maiori terminus universalis omne animal accipitur pro generibus singu=lorum, seu distributivè incompletè, adeoque non comprehendit Pe=trum: in minori idem terminus *animal* accipitur singulariter nempè pro solo Petro. Hæc autem diversa suppositio termini *animal* ita variat eundem terminum, ut idem esset, ac si essent quatuor termini, adeoque extrema seu termini conclusionis non conjungun=

ur cum tertio, seu medio termino assumpto animal. Distin-
guenda itaque est maior: Omne animal distributivè incomplatè
fuit in arca Noë, conceda ma: Omne animal distributivè com-
pletè ne: ma: et concessa minori ne: cons:

71. Quarta regula est: Terminus non distributus in pręmissis, sivè non universaliter sumptus non debet sumi universaliter in con-clusionem. Sit hic Silogismus: Omnis circulus est figura, om-ne triangulum est figura, ergo triangulum omne est circulus. Figura, quę assumitur pro medio termino ad probandam con-junctionem extremorum in conclusione in nulla ex pręmissis distribuitur, seu universaliter sumitur. In maiori enim accipitur pro certo genere figurę, quę una linea curva clauditur. in minori pro alio figurę genere, quę tribus lineis comprehenditur: Unde ille medius terminus figura non est simplex, sed verè duplex, atque adeò non potest esse vinculum ad probandam conjunctionem extremo-rum quę affirmatur in conclusione triangulum est circulus. Distin-guitur itaque maior: Omnis circulus est aliqua particularis figura distincta ab omni alia con: ma: Omnis circulus est omnis omninò figura, ne: ma: Eadem distinctio datur in minori et negatur cons:

72. Has omnes regulas, ut videtis, revocare possumus ad illam unam in qua docemur tres tantùm terminos debere esse in silogismo, ut rectè concludat ex illo principio: Quę sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

73. Pręterea ut vitiosi a sinceris silogismis discernantur, hę regulę sunt necessarię, quę complectuntur his versibus:

Nil sequitur geminis ex particularibus unquam:

Utraque si præmissa neget nihil inde sequetur.
Sit parti similis conclusio deteriori:
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
Primò itaque requiritur, ut una ex præmissis sit universalis; Nam ex puris particularibus nihil sequitur: Undè vitiosè argueretur: aliquis homo est Imperator, Petrus est aliquis homo, ergò Petrus est Imperator. Secundò requiritur ut una ex præmissis sit affirmativa, quia ex puris negativis nihil sequitur: Undè malè argueretur: Nullus homo est justus, Petrus non est justus, Ergò Petrus non est homo. Et ratio est, quia ex eo quod duo termini non conveniant cum uno tertio, non sequitur, quod non conveniant inter se.

74. Tertio requiritur ut conclusio sequatur partem seu præmissam debiliorem nimirum vel negativam vel particularem ità ut si altera præmissarum sit negativa, conclusio etiam sit negativa: si altera sit particularis, talis etiam sit conclusio. Ratio est quia extrema non sunt magis inter se conjuncta in conclusione, quam conjungantur cum medio termino in præmissis. Vitiosus itaque esset hic syllogismus: Omnis sapiens est honorandus, aliquis homo est sapiens, ergò omnis homo est honorandus, ut benè procederet dicendum esset, ergò aliquis homo est honorandus. Quartò requiritur ut si præmissæ fuerint affirmativæ, etiam conclusio sit affirmativa, si enim extrema propositionis ex principio jam tradito conjunguntur cum aliquo tertio debent inter se quoque conjungi.

Articulus tertius.

Figuræ, et modi syllogismi.

75. Ex variâ dispositione medii termini quando conjungitur cum præmissis, variæ oriuntur Syllogismorum figuræ, quas nec omittere licet, ne nova accidant, cum audiuntur; nec longius afferre, quia non multæ utilitatis. Figuræ Syllogismi recensentur tres. Prima est cum medius terminus in maiori ponitur ante copulam, in minori post copulam. Secunda, cum medius terminus in utraque præmissa ponitur post copulam. Tertia cum medius terminus in utraque præmissa ponitur ante copulam. Hæc de figura.

76. Modus Syllogismi est diversa ordinatio propositionum, quæ differant in quantitate, vel in qualitate. Modi Syllogismi vulgò numerantur 19. qui exprimuntur aliquibus versiculis, quos videre est apud plurimos, ità ut si tres omnes propositiones, quibus constat Syllogismus, sint universales affirmativæ, dicatur esse hic Syllogismus in Barbara, quia vocalis illa A ter repetita in hac voce significat propositionem universalem affirmativam.

Articulus Quartus.

Afferuntur variæ divisiones Syllogismi, et variæ species argumentationum.

77. Syllogismus primò dividitur ratione materiæ in apodicticum, sive demonstrativum, et topicum, sive probabilem. Demonstrativus est, cum præmissæ assumunt veritates necessarias ut prima principia &c, et hic Syllogismus parit scientiam. Sic Syllogismi, quibus Mathematici probant suas propositiones, demonstrativi dicuntur, quia innituntur primis principiis, et aliis veritatibus jam demonstratis. Topicus est Syllogismus constans probabilibus, quæ opi=

nionem tantum efficiunt. Altera autem opinionem facit quamvis ex pręmissis altera sit necessaria, quia ut diximus conclusio sequitur debiliorem partem. Addunt alii syllogismum sophisticum, qui sophisma dicitur, et est ille, qui ex falsis specie quidem veri componitur, qui syllogismus producit errorem. Sed eodem modo sophisma ingreditur divisionem syllogismi, quo quis divideret aurum in verum et falsum. Eius fallacia detegitur per hoc, quod peccat contra aliquam ex regulis traditis ad rectam constructionem syllogismi.

78. Dividitur secundò in simplicem et compositum. Simplex est, in quo afferuntur tres propositiones simplices, ut si dicas, omne animal est vivens, omnis homo est vivens, ergo omnis homo est animal, in quo syllogismo propositiones omnes sunt simplices. Compositus est, qui vel plures habet propositiones quam tres, vel pręmissę singulę sunt compositę, ut si dicas Deus iubet patrem esse honorandum, et fugiendum peccatum, Petrus est Pater, et avaritia est peccatum, ergo Petrus est honorandus, et avaritia fugienda. Syllogismus compositus dividitur in copulativum, disiunctivum, et conditionalem. Copulativus est cuius aliqua pręmissa est propositio copulativa atque ita disponi solet, ut una pars affirmetur in minori, ut altera negetur in conclusione. e.g. Nemo potest servire Deo, et mamonę seu pecunię, avarus servit pecunię, ergo Deo servire non potest. Syllogismus disiunctivus est ille, cuius maior propositio constat partibus separatis particula disiunctiva, ut improbi aut puniendi sunt in hac vita, aut in altera, non puniuntur in hac vita, ergo puniendi sunt in altera. In hoc syllogismo vis tota consistit, ut quę partes per disiunctionem afferuntur, sint oppositę,

nec habeant aliquod medium, si enim dicas Petrus aut est nobilis, aut est doctus, sed non est nobilis, ergo est doctus nihil concludis, quia potest esse aliquid medium v.g. miles, rusticus &c. Syllogismus conditionalis est ille in quo reperitur aliqua propositio conditionalis ut si Princeps jubet me discedere discedam. sed Princeps jubet, ergo discedam. In hoc Syllogismo totalis posita est in connexione conditionis cum conditionato, quae connexio si desit nihil concludit.

79. Non semper in veritate aliqua demonstranda utimur Syllogismo, saepe aliud adhibemus argumentationis genus, et haec genera breviter sunt explicanda. Si quando alterutra ex praemissis reticatur, ita ut Syllogismus in mente quidem sit integer, at effectus truncatus tamen at imperfectus proferatur hoc argumentandi genus dicitur enthymema. Probandum est virtutem esse amandam dicimus. virtus est bona, ergo est amanda. Et reticemus in mente propositionem, quae facile intelligitur, bonum est amandum.

80. Epicherema est cum non solum afferimus tres propositiones in Syllogismo sed alterutri vel utrique praemissae addimus probationem dicendo: Omne bonum est amandum quia conducit ad felicitatem, virtus est bona, quia conformis est rationis lumini, ergo est amanda. Prosyllogismus est cum priori Syllogismo jam facto altera propositio subjungitur descendens ex illo, ut inferatur alia conclusio ut, omne bonum est amandum, virtus est bona, ergo est amanda. Sed temperantia est virtus, ergo temperantia est amanda. Illa propositio subjuncta, sed temperantia est virtus, dicitur minor assumpta.

81. Inductio est argumentatio, qua ex pluribus particularibus enumeratis

aliquod universale concluditur, quod argumentandi genus maximè juvat scientiam naturalem. Volumus cognoscere, an omne animal sit sensitivum, et afferimus plura animalia in particulari, dicendo: Homo est sensitivus, equi sunt sensitivi, et sic de cæteris animalibus ergo omne animal est sensitivum, sed in usu hujus argumentationis enumerandæ essent partes omnes, seu omnia singularia, alioquin nihil concluderet. Sæpe enim ex iis, quæ in multis deprendimus, universales quasdam propositiones efficimus, quæ falsæ sunt, quia singula non enumeravimus. Sic ex eo quod aliquis observaverit plura corpora contrahi frigus, non inferre potest ergo omnia corpora frigore contrahuntur, quia aqua cum congelatur, majus spatium occupat.

82. Sorites est argumentatio constans ex pluribus propositionibus ita ut prædicatum prioris sit subiectum alterius, donec subiectum primæ propositionis conjungatur cum prædicato ultimæ, ut si dicas, qui timet Deum, fugit peccata, qui fugit peccata, est amicus Dei, qui est amicus Dei habet gratiam, qui habet gratiam salvatur, ergo qui timet Deum salvatur.

83. Dilemma est argumentatio in qua utimur aliqua disjunctiva, cujus quamcunque partem elegerit adversarius, semper contra ipsum facit, atque adèo cornutum argumenti genus vocatur, quia utroque cornu adversarium ferit. Sic celebre illud Diodori argumentum apud Aristotelem contra motum: Corpus vel movetur in loco in quo est, vel movetur in loco, in quo non est: Non movetur in loco, in quo est, quia cum est in loco non movetur: Non movetur in loco in quo non est, quia ubi corpus non est, nec moveri, nec

moveri, nec quiescere potest: ergo corpus nullibi movetur, ergo non datur motus. Sed hęc de summulis sit satis.

De philosophiâ in universum.

Disputatio proœmialis.

Articulus primus.

Quid sit philosophia, quæ eius divisio, et quæ philosophorum sectæ.

1. Philosophia, si Græcam vocem spectemus, nihil est aliud quam latinè amor sapientiæ. Sapientia autem ex Cicerone 2. de Officijs est rerum divinarum et humanarum scientia, et causarum quibus hæ res continentur. Veteres si quem videbant rebus cognoscendis addictum, sapientem vocabant et apud ipsos idem erat sapientia et philosophia. Nomen philosophi primus invexit Pythagoras; cum enim coram Leontio Rege Sicyoniorum multa de divinis, humanisque rebus disseruisset, interrogatus an sapiens esset, respondisse ferunt se non sapientem esse, sed philosophum. Quod nomen inquit S. Aug. l. 8. de Civ. Dei, ita posteris placuit, ut quantumlibet de rebus ad sapientiam pertinentibus quisque vel sibi, vel alijs videretur excellere, non nisi Philosophus vocaretur.

2. Quamquam verò veteres philosophiæ nomine genus omne sapientiæ complecterentur, consequente tamen tempore intra angustiores limites hoc nomen homines cohibuerunt, ut ij solum philosophi dicerentur qui res divinas et humanas cognoscerent, divinas inquam quas naturali lumine assequi possumus. Hic itaque nomine philosophiæ intelligimus rerum divinarum humanarum scientia; cum autem scientia sit cognitio rei per causas, ille philosophus dicendus erit qui vel demonstrationes rerum cognitionem acquirat, vel saltem clarâ aliquâ, et certâ ratione innitatur.

3. Philosophia ex duplici capite dividitur, Primò ex obiectis, quæ considerat, secundò ex auctoribus, qui docuerunt. Ex obiectis dividitur in razionalem, moralem, et naturalem. Rationalis est, quæ rationem dirigit, et eandem in inquirendâ veritate moderatur. Naturalis est, quæ de naturâ et rebus ocultis per causas naturales disserit; Moralis, quæ alio nomine Ethica dicitur est quæ modum docet, quo vitam dirigamus, moresque componamus ut naturalem felicitatem assequamur. Alia divisio philosophiæ pluribus placet, volunt enim dividi in Logicam, physicam, metaphysicam, et moralem. Logica convenit cum rationali cuius auctor fuisse fertur Aristoteles, qui plures libros de rectâ methodo ratiocinandi scripsit, quamvis antiquiorem fuisse Logicam certo constet. Physica, et metaphysica ad naturalem pertinent; illa enim res corporeas considerat et spirituales.

4. Ad physicam referuntur scientiæ mathematicæ, ut Geometria, quæ circa quantitatem continuam versatur, Astronomia, quæ cælestium corporum motus; Mecanica, quæ machinarum vires, et rationes; Hydrostatica, quæ gravitatem aquarum expendit; et aliæ plurimæ, quæ communi vocabulo dicuntur scientiæ physico-mathematicæ, quarum si certitudo, et evidentia demonstrationum repetatur, sunt omnium præstantissimæ, et meritò nostrâ hac ætate est virorum ingeniis in iis toto Orbe exercentur.

5. Moralis philosophia dividitur in monasticam, oeconomicam, et politicam. ~~Monasticam~~ privatam cuiusque vitam respicit, et virtutes adocet, quâ beatus quisque esse possit; De quâ plura exempla reliquit Socrates, et plura scripsit Seneca, et ipse Cicero. Oeconomica familiam, seu imperfectam communitatem dirigendam sibi proponit, ut

ris quisque partes utatur. Politica circa communitatem perfectam ci=
vitatem renempe aut regnum optime constituendum versatur, de quâ plura
scripsit Plato in libris de Republicâ.

6. Altera divisio philosophię petitur a diversis auctoribus, seu Sectis. Sectę
nomen vel a secando derivatur, quod ipsa philosophia divisa fuerit, vel
potius a sectando, quod plurimi unius philosophi sententiam sectentur.
Ac primo quidem cum hac ipsa rerum universitate natam esse phi=
losophiam nemo dubitat, cum primo parenti Adamo rerum naturalium
cognitionem Deus infuderit, per quam convocatis animalibus illud no=
men eis imposuit, quod erat cuiusque proprium: Philosophiam dein=
de excoluisse accepimus multos ex Judaeis inter quos S. Legislator
Moyses dicitur eruditus in omni sapientia. Salomon plura scripsisse de
rebus naturalibus, praesertim de plantis, tribum Issachar cęlestium cor=
porum motus observasse ut jure affirmavit Serrarius et Natalis ab
Alexandro cęteros philosophos, qui vel in Ęgypto vel in Gręcia vel
in aliis regionibus floruerant plurima ex Hebraeorum scriptis vel dic=
tis hausisse. Omnino affirmari potest nullam fuisse regionem tam rudem,
et efferam, in qua rerum naturalium cognitio non viguerit. Longum
esset recensere, quot insignes philosophi omni ętate floruerunt. Eos
si placet videre est apud Diogenem Laertium, et alios recentiores.

7. Quod attinet ad Sectas philosophorum alii dicti sunt Dogmatici quia
in multis se assecutos esse veritatem arbitrabantur, alii Academi=
ci, qui de omnibus dubitandum esse censebant, inter quos aliqui de
inveniendâ veritate desperabant, et Pyrrhonici dicebantur a Pyrrhone
auctore, aliqui se posse invenire existimabant et Sceptici vocabantur.

8. Inter celebriores Sectas, in quas divisi sunt philosophi prima numeratur

Italica cuius auctor fuit Pythagoras qui philosophiam suam pluribus Italiæ urbibus tradidit et floruit regnante Romæ Tarquinio superbo ut ex Cic: in 1a Tusc: 4a colligitur. Hanc Pythagoricam Sectam non modò Itali secuti sunt, sed Brachmanes, Bonziique in India susceperunt, Hanc etiam secutus est Virgilius in 6. En:. 2da numeratur Ionica cuius auctor fuit Thales Milesius, qui philosophiam et Astronomiam apud Miletum Ioniæ urbem summa cum laude docuit. 3a: Stoica cuius auctor Zeno, et præcipui cultores Socrates, Seneca, et Cato Uticensis, quæ maximè in dirigendis moribus versabatur. Quarta Peripatetica ab Aris: qui discipulos deambulando erudiebat, et floruit sub Alexandro Magno cuius etiam magister per quinquennium fuit: De laudibus huius philosophi videndus est Cicero. Quinta Epicurea cuius auctor Epicurus, qui licet malè audiat per apud plerosque propterea quod in bonis corporis felicitatem constitueret, a multis tamen præsertim a Petro Gassendo quoad mores, et quoad doctrinam commendatur. Hic Democriti placita qui res omnes ex athomis et inani componi volebat vel illustravit, vel excitavit, et nostro sæculo in Galliis renovavit idem Gassendus, a quo etiam ista Secta dicitur Gassendistica. Hanc philosophiam versibus expressit Lucretius. Sexta Elementaris cuius auctor inter veteres Empedocles, et inter recentiores Maignanus, et sequaces. Septima Chemica cuius auctores fuerunt olim Arabes deinde renovarunt Theophrastus Paracelsus, et Raymundus Lullius, huius Sectæ principia sunt, corpora constitui sale mercurio seu spiritu, sulphure, seu oleo, aquâ seu flegmate, terrâ damnatâ, seu capite mortuo, quæ videbimus suo loco. Octava Eclectica

seu eclectiva, cujus auctor fuisse Potamo Alexandrinus, qui de sin=gulis sectis, quæ sibi placuere, elegit, ut veritatem, inquit, facturus, quæ in una secta reperiri non poterat, ex pluribus hauri=ret.

9. Peripatetica Secta multas vices sustinuit. Plurimum in Italia usque ad Ciceronis ætatem floruit, deinde languere cœpit, sive quod Aristotelis operâ innumeris mendis vitiata jam forent, sive quod veteres Ecclesiæ Patres, inter quos clarissimum lumen S. Aug: Platonica dog=mata complexi sunt: Denuo iterum excitata est circa finem 9. sæculi in Hispania per Averroem, et Avicennam Arabes, qui Aristotelis philosophiam commentariis illustrarunt, et deindè universam Europam feliciter occupavit beneficio præsertim S. Thomæ Aquinatis, qui Aristotelem secutus est. Vix autem excepit Peri=pateticam Sectam Europa, cum brevi divisa fuit in tres Sectas, Scotistarum namquè Thomistarum et Nominalium. Scotistæ dicun=tur qui Ioannem Duns Scotum ordinis Minorum: Thomistæ qui S. Thomam Aquinatem vel etiam Thomam Cardinalem de Vio Caie=tanum; Nominales, qui Ruscelinum vel Gabrielem Occamum sequuntur.

10. His philosophis addendi meritò sunt ~~Hag~~ Tijcho Brace natus in Dania anno 1546. qui terræ quietem acerrimè propugnavit, Nicolaus Copernicus natus in Borussia anno 1473. qui motum terræ docuit. Galilæus Galilei Florentinus, qui plura de motu, et cor=poribus cælestibus scripsit, et Renatus Cartesius, qui novam exco=gitavit hypothesim, quâ rerum naturalium phænomena explicaren=tur. Natus autem est Hagæ in Hollandia anno 1596. et obiit

Holmiæ in Suecia anno. 1650. cuius placita apud Gallos plurimum probantur.

11. ## Articulus Secundus.

An existat philosophia.

Vidimus inter philosophos dubitatum esse an rerum naturalium scientia dari possit in homine ita ut certam, et evidentem rei cognitionem habeat, sivè hanc acquirat ex ratiocinio sivè ex experientiâ sensuum. Quærendum est modò contra Accademicos præsertim novos, an aliquid certò sciatur a nobis; cum autem veteres nullam scientiam nisi naturalem agnoscerent, et omnis scientia naturalis nomine philosophiæ comprehenderetur, idemque est quærere an existat philosophia et an detur scientia. Quæstio instituitur etiam contra Cartesium, qui vult dubitandum esse de omnibus.

12. Ac primò quidem notandum est, Accademicos illos veteres, et recentiores non potuisse omnia in dubium revocare. Quis enim dubitat se existere, vivere, cogitare, se gaudere ac dolere, et de aliis huiusmodi, quæ sensu interno percipimus? Absit inquit S. Aug. in Enchi. c. 20. ut his veritatibus non assentiri sapientia potius, quam dementia nominetur. Noto secundò, scientiam si accipiatur in sua latiori significatione esse certam, et evidentem rei cognitionem, si in sensu magis stricto esse cognitionem per demonstrationem acquisitam nimirum illatam ex principiis certis, et evidentibus. Quæstio procedit in utrâque scientiæ acceptione, et quærimus utrum detur aliqua cognitio certa et evidens rerum extra nos positarum.

13. Noto tertiò certitudinem quam debet habere cognitio ut sit scientifica, aliam esse obiectivam, aliam subiectivam, aliam formalem.

obiectiva consistit in eo, quod obiectum necessariò sit ut enunciatur; Tunc enim ab ipsâ naturâ obiecti refunditur infallibilitas, vel certitudo in nostram cognitionem. Iam verò obiectum vel potest esse necessarium ex naturâ suâ, ità ut non possit aliter se habere, ut cum dicimus Deus existit, in quâ propositione necessaria veritas existentiæ Dei refundit certitudinem in actum nostræ mentis, vel quamvis obiectum sit contingens, tamen si consideretur ut substans motivo infallibili, non potest aliter se habere, ut cum dicimus: In principio creavit Deus cælum, et terram; licet enim obiectum huius propositionis sit contingens, tamen prout substat Divinæ revelationi in sacris litteris reddit actum nostræ mentis certum et infallibilem, si intellectus assumat pro motivo assentiendi Divinam revelationem.

24. Certitudo subiectiva est firmitas quædam, quâ intellectus adhæret alicui veritati ità ut nihil dubitet de opposito vel hoc oriatur ex ipsâ experientiâ vel ex evidentiâ luminis naturalis, vel ex affectu quodam et propensione voluntatis vel ex præjudicio et falsâ persuasione qualis est in hæreticis. Sic cum assentimur huic veritati orbis terrarum dividitur in quatuor partes, quæ sunt Europa &c. nihil dubitamus de opposito. Evidentia si quando adjungitur certitudini est claritas cognitionis, quâ tantâ luce se veritas exhibet ut ne dubitandi quidem libertatem relinquat: Ut cum dicimus totum est maius sua parte.

25. Certitudo formalis est ipsa certitudo cognitionis, per quam intellectus persuadetur rem aliter se habere non posse. Unde verò repetenda sit certitudo cognitionis nostræ, an ex ideis Platonicis, an aliunde, suo loco videbimus.

26. Certitudo, et evidentia ex parte obiecti triplex esse potest. Metaphysica

Physica, et moralis. Illa cognitio dicitur metaphysicè certa, cum ne=
que per Divinam Omnipotentiam falsa reddi potest quia eius obiec=
tum necessariò se habet, ut enunciatur. dicitur physicè certa, cum spec=
tando leges omnes naturę obiectum aliter se habere non potest, ut si dicas
ignem comburere. Dicitur moraliter certa cum cognitio enunciat obiec=
tum quod plerumque ità se habet sed tamen etiam per naturę vires potest
aliter se habere quamvis rarò, et non sine magnâ difficultate. Sic certum
est moraliter Julium Caesarem vicisse Pompeium, et alia quibus vita
civilis innititur. Ad scientiam propriè tamen non sufficit certitudò, et evi=
dentia moralis, sed requiritur metaphysica, vel saltem physica, quamvis
frequenter ea scire dicamus, de quibus moralem evidentiam solum habemus.
His positis

27. Sit nostra conclusio contra Academicos. Datur aliqua scientia rerum ex=
tra nos positarum, ac proinde existit philosophia. Probatur. Vel scientia
accipitur pro cognitione rei certâ et evidenti vel pro cognitione acquisitâ
per demonstrationem: In utroque sensu datur cognitio rerum extra nos posita=
rum: Ergo datur scientia. Probatur minor quoad primam partem, primò
in metaphysicis, certum est enim metaphysicè Deum existere, vel hęc cognitio
habeatur a lumine naturę vel acquiratur per res creatas, certa sunt etiam
prima principia, totum est maius suâ parte, quę sunt eadem uni tertio
sunt eadem inter se &c. Secundò in physicis, certum est enim physicè dari
rerum mutationes, aliqua interire, aliqua produci, certum est gravia in
aere libero descendere, corpora moveri de loco in locum, licet incertum
sit quomodò. Tertiò in moralibus, certum est enim Deum esse colendum,
Parentes esse honorandos, quod tibi non vis, alteri ne feceris: Sed hę cognitio=
nes et certę sunt, et evidentes, et sunt de rebus extra nos positis: Ergo da=
tur cognitio rei extra nos positę, atque ideò datur scientia.

18. Dixi certum esse aliqua dari, præsertim in rebus physicis licet incertum sit quomodò; Ut enim inquit Cic. li: 2. de Divinâ naturâ etsi causę non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsę observari, animadvertique possunt: et li: 1. hoc sum contentus, quod etiamsi quomodò quidque fiat ignorem, quid fiat intelligo. Quare concludendum cum eodem li: quarta Accad: si nihil veritatis relinquitur, si omnis assensio est cohibenda, ne falsa aut incognita res approbetur, omnis quoque actio vitę, omnis animorum motus tollatur necesse est.

19. Probatur superior minor quoad secundam partem nimirum dari in nobis cognitionem acquisitam per demonstrationem. Multa cognoscere per demonstrationem est quod ea inferamus ex primis principijs per se notis. Sed multa inferimus ex primis principijs per se notis: ergo multa cognoscimus per demonstrationem. maior constat quia hoc intelligimus, cum dicimus cognoscere per demonstrationem. Minor probatur primò in physicis; Etenim ex hoc primo principio, totum est maius suâ parte, quis negat certò inferri Italiam esse minorem Europâ. Secundò præcipuè in Mathematicis; Etenim propositiones Geometricę v.g. Triangula habent angulos ęquales duobus rectis, certò et evidenter ex primis principijs inferuntur ut fatentur omnes, qui Geometriam vel primo a limine salutaverint. Ergo multa inferimus ex primis principijs, atque adeò datur in nobis scientia per demonstrationem acquisita.

20. Confirmatur nostra conclusio. Curiosum nobis natura dedit ingenium, inquit Seneca, Ergò naturaliter omnes ad sciendum inclinamur; Ergò scientia rerum non est nobis impossibilis, ut volebant Pyrrhonici. Probatur ultima conseq. Quod natura nobis impressit, non potest esse impossibile saltem pro aliquibus individuis; Sed natura sciendi appetitum nobis impressit; Ergò appetitus iste naturalis non est impossibilis. Maior constat ex illo prin-

cipio Deus et natura nihil frustrà opperantur.

22. Obijcies primò contra conclusionem jam positam. Omnis cognitio intellectus nostri pendet a sensibus, sensus non possunt inducere in cognitionem certam et evidentem, Ergo nulla cognitio est certa et evidens; Ergo non datur scientia in primâ seu latiori significatione. Maior probatur ex illo principio Aristotelis: Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: Minor probatur: Sensus sæpe nos fallunt. Ergò non possunt inducere in cognitionem rei certam et evidentem. Antecedens patet, quià oculis navigantium si velit judicare de motu, dum provehitur portu videntur illi terræque urbesque recedere: sic remus in aquâ inflexus oculo apparet, cœlum videntur tangere montes, mergi Oceano Sol idem dici potest de gustu, auditu, &c. ergo sensus sæpe nos fallunt. 22. R. nego maiorem cum multis; Cognitio enim, quâ intellectus cognoscit se dolere, gaudere, et qua Deum ipsum, et res spirituales percipit, nullo modo pendent a sensibus, cum non sit nec lucido-colorata, nec sonora, nec sappida: Demum cognitio quâ prima principia cognoscimus non oritur a testimonio sensuum, sed a quodam naturali lumine intellectus. Deinde omissâ maiori ne: mi. Ad probationem primùm ne: ant. Non falluntur sensus, neque nos fallunt v.g. oculi cum remum in aquâ inflexum exhibent. Verè enim oculis exhiberi debet remus inflexus in aquâ, quia radij lucis dum ex medio rariore quod est aer, transeunt ad medium densius, quod est aqua, a perpendiculari, seu a recto itinere deflectunt. Intellectus ipse, si in isto casu judicaret, ut oculis apparere debet ipse, inquam, deciperetur. Idem dicendum est de motu et alijs, quorum sensus non constituuntur judices vel quia ad ipsos non pertinent vel quià male affecti sunt ut febri laborantes de saporibus judicare non possunt ex proprio gustu. Prætereà omisso antecedente illo, sensus sæpe nos fallunt nego cons: Nam licet

Si testimonium sensuum sequeremur, aliquandò falleremur, plerumque tamen per sensus venimus in cognitionem certam, et evidentem. Dum enim lux oculis exhibetur, aliquid manibus contrectamus, concentum tamen auribus excipimus certi sumus de existentia lucis, corporis contrectati, concentus auditi. Hęc autem cognitio habita per sensus certa redditur, si omnes vel plures sensus conveniant, si error unius per alterius veracem perceptionem corrigatur, si denique ratione utamur, quâ comparemus quidquid sensibus apparet.

23. Instabis. Si sensus aliquandò nos fallunt semper dubitare possumus, an nos fallant, atque adeò numquam iis credere debemus. Ergò nulla cognitio habita per sensus certa, et evidens esse potest. Antecedens probatur paritate hominis mendacis; si quis enim sępe mentiri solet numquam ei credimus etiam cum vera dicit. R. nego ant. ad prob: disparitas est, ideò numquam credimus homini, qui sępè nos decepit, quia certi non sumus, eum in aliis vera dicere. Si enim certò sciremus verà esse aliqua, quę dicit, hęc illi crederemus, si non quia ipse dicit saltem quià vera esse certò scimus. Contrà quia certi sumus, in pluribus sensus nos non decipere. Quod enim per oculos exhibetur rationi ipsi evidenter apparet sic exhibendum esse, ideò certa et evidens potest esse cognitio habita per sensus. Hoc itaque statuimus fundamentum omnis certitudinis non peti ab uno vel altero sensu, sed vel a concordi testimonio omnium sensuum, vel ab ipsa perceptionis evidentia quatenus quod nobis per sensus apparet, ipso rationis lumine tanquam certum confirmatur.

24. Instabis secundò. Sępe cum dormimus vigilare nobis ipsi videmur, et plura exhiberi a sensibus, quę certè falsa sunt; Ergo cum vigilamus, fieri potest, ut dubitemus nos dormire, et falsa esse, quę inde vigilandum cognoscimus. R. Hanc instantiam maximè somnolentos nos facere. Contendit

omnia dubitare semper nos posse ut dormiamus, atque in æternam claudamus lumina noctem. Quis autem sanæ mentis dubitat cum hæc scribimus, docemus, et discimus, cum de gravissimis rebus agimus, cum propositiones Geometricas demonstramus, semper dormire. Esto quod aliquis inter somnum vigilare sibi videatur, componere ac scribere carmina, et multa affirmet, multa neget, tamen cum verè vigilat, alio modo operatur, et supra ipsas cogitationes suas reflectens nimiæ dementiæ esset, si dormire se crederet. Concedo itaque ant: et nego cons:

25. Instabis tertiò. Sæpè putamus nos demonstrare et scire aliqua, quæ deindè vel a nobis maiorè cognitione præditis, vel a viris doctioribus falsa, aut saltem non certa deprehenduntur. Ergò licet aliqua certè affirmemus potest subesse aliqua falsitas, quam vel nos vel doctiores viri deprehendant. Rs. concedo ant: et nego cons. Cum dicimus dari in nobis aliquam cognitionem verum certam, et evidentem de ijs rebus intelligimus, quæ vel necessariæ sunt, vel ab omnibus ut evidentes accipiuntur; sunt autem Deus existit, datur motus, gravia descendunt, parentes sunt honorandi, et plures propositiones Geometricæ, de quibus dubitare prudenter non possumus. Certè evidens olim putabatur horror vacui, se demonstrasse crediderunt aliqui quadraturam circuli, quæ falsa sunt, sed de hâc verum cognitione quæstio nostra non procedit.

26. Obijcies secundo. Cognitio scientifica debet esse universalis. Non potest dari cognitio universalis certa, ergo non potest dari cognitio scientifica. Probatur minor. Ut detur cognitio universalis, enumeranda essent omnia particularia. Hæc enumerari non possunt, ergo non potest dari cognitio universalis certa. Rs. nego minorem: ad prob: dis: ma: enumeranda essent omnia particularia in propositione universali contingenti con: ma: in propositione universali necessaria ne ma, et concessa minori dis: conse-

quens eodem modo. Certè ad affirmandum omnes homines esse divites, quod est aliquod contingens examinandi essent omnes omninò; sed ad affirmandum omnes homines esse rationales, quod est aliquod prædicatũ necessarium, sufficit attenta consideratio ipsius hominis.

27. Objicies tertio contra idem partem conclusionis, in quâ dicimus dari scientiã strictè sumptam, nempè cognitionem acquisitam per demonstrationem. Ideò daretur hæc scientia, quia plura inferremus ex primis principiis; sed dubitare possumus de veritate primi principii: ergò hæc scientia non datur. Major est explicatio scientiæ: Probatur mi: De facto Prothagoras apud Ari: 4. Meth: dubitavit de veritate huius principii, idem non potest simul esse, et non esse, ergò &c. præterea plures dubitant de certitudine demonstrationum Mathematicæ; ergò exemplum allatum ex Mathematicis non probat dari hanc scientiam.

28. Rx. concedo ma: et nego mi: Ad prob: dico, non curare nos eos homines, qui vel contumaciâ vel insitiâ de primis principiis dubitant, quamvis iuxta Ari: dicendum sit, eos ore tantùm negasse libidine contradicendi non quod ita sentirent. Quoad demonstrationes mathematicas, eæ revocantur in dubium tum ab iis, qui eas vel non intelligunt vel nec primo a limine salutarunt: cæterum si de demonstrationibus Geometriæ loquimur, quas affert Euclides, revocari in dubium non possunt, at apud intelligentes terminos evidentissimæ sunt. Si verò de rebus physico-Mathematicis loquimur, de aliquibus non nego dubitari posse, ut de multis rebus Astronomicis.

29. Objicies ultimo contra confirmationem. Argumentum nostrum procedit hoc modo: Non est impossibilis scientia, ergo datur; sed argumentum hoc malum est, Ergo ex appetitu naturali sciendi probare non possumus dari scientiam: Probatur mi: a pari: non valet hoc argumentum non est impossibilis alter mundus, ergo datur; Ergo argumentum nostrum non valet. Rx nego mi: ad prob:

con: ant, et nego consequentiam. Disparitas est a potentia, quae residet in uno particulari subiecto, non valet quidem ad actum illius; sed a potentia, quae residet in multis, valet ad actum alicuius; sicut enim ex potentia, quam habent omnes homines currendi, valet morali quadam necessitate inferre, ergo aliquis currit; ita ab appetitu naturali sciendi, quem omnes homines sentiunt, et a potentia, quam proinde habent, valet inferre; ergo apud aliquos datur scientia.

Articulus Tertius.

An haec scientia sit de novo.

30. Plato aliquam scientiam quidem admisit, negavit tamen illam acquiri de novo, sed voluit esse puram reminiscentiam, ita ut apud Platonicos illud usurparetur: Scire nostrum est reminisci, vel ut inquit Cic: 1. Tusc: nihil aliud est discere, nisi recordari. Putavit Plato, animas rationales ab aeterno creatas esse a Deo extra corpora, et illis impressas esse omnium rerum imagines et ideas, ut illarum ope omnia cognoscerent: deinde in corpus organizatum infusas materiae contagione rerum omnium oblivisci, quarum deinde per sensus et studium recordarentur. Huic sententiae accessit Pythagoras, cum docuit animas rationales ex alio in aliud corpus migrare, quam metempsichosim appellabat.

31. Hanc Platonicorum sententiam secuti sunt Socrates, Cicero, Seneca, et magna ex parte S. Aug: aliique Sancti Patres quamvis S. Aug: hanc sententiam improbavit in retract: et certe in quantum docuit Plato animas creatas esse a Deo extra corpora, omnino a viro catholico reiiciendus est, cum oppositum definitum sit a Concilio Lateranensi V: quod inchoatum fuit sub Julio Secundo et absolutum sub Leone X: et est XVII: concilium generale. In quantum docuit animabus impressas esse a Deo rerum imagines et ideas, suo loco videbimus an sit reiiciendus; non enim

crediderim cum Arist: intellectum esse tabulam rasam, et numquam ani-
mam intelligere sine corporeo phantasmate;

32. Sit nostra conclusio. Non omnis scientia est pura reminiscentia. Probatur primò contra Platonem; quia nititur falso supposito, animas nempè creatas esse extra corpora. Probatur secundò, incredibile est, omnium rerum ideas, et innumeras mentibus nostris in ipsâ creatione esse ingenitas; Ergò aliquae cognitiones dantur de novo ac proinde non omnis scientia est pura reminiscentia. Probatur ant. De eadem re v.g. de solo triangulo infinitae ferè demonstrationes ex diversis principiis peritè haberi possunt, et infinitis speciebus excogitari; Sed incredibile est, has omnes demonstrationes de solo triangulo in animâ impressas esse. ergo incredibile est omnium rerum ideas &c. maior constat; Quot enim diversa principia aliquibus temporibus Astronomi excogitarunt ut motus Planetarum exhiberent. Probatur tertiò ab ipsâ experientiâ; cum aliquam scientiam addiscimus non experimur esse illam aliàs a nobis cognitam et de illâ nos purè recordari; Ergò non est pura reminiscentia. Probatur consequentia. Nam cum recordamur non solum cognoscimus obiectum ut est in se, sed etiam esse a nobis aliquando cognitum.

33. Obijcies primò. Quod dicit Plato in dialogo qui Meno inscribitur. Puer quidam interrogatus a Socrate de Geometriâ sic respondit, ut videretur esse illius scientiae peritissimus, cui tamen numquam studuit; Ergò Geometria fuit in isto puero sola reminiscentia. Rx. primò. con: totum, dummodò non supponamus cum Platone, cognitiones illas infusas esse in animâ extra corpus: Argumentum enim probat, posuisse Deum, ut Job c. 38. legimus, in visceribus hominis sapientiam, et in S. Thoma insitam esse in animâ a Deo quaedam quasi semina omnium sequentium cognitionum, non enim ut videtur Arist: animus noster est velut tabula rasa in quâ nulli sit ab auctore naturae impressi carac-

tères, potuit ergo ille puer de Geometriâ quædam cognoscere ex illis communibus notionibus animis ingenitis, quæ deindè excitantur, dum ab aliquo nobis proponuntur: Non tamen ex argumento sequitur, puerum illum benè respondisse futurum fuisse de alijs omnibus propositionibus Geometricis, et de alijs rebus naturalibus, et de artibus, quas sensu et experientiâ percipimus. Sicut enim Platoni non concedimus, animam attulisse secum omnes artes aut disciplinas, nec illi ingenitas esse omnium rerum sensibilium imagines; ità fatendum videtur omnem nostram cognitionem inchoatam esse a naturâ et perfici studio, et industriâ.

34. Rx. secundo. dist: ant. Puer ille optimè respondit de rebus Geometricis obvijs, et facilioribus con. ant: æquè benè respondisset de rebus difficilioribus, et minus obvijs ne. ant, et cons: Sunt aliquæ propositiones Geometriæ ità faciles, ut Puer etiam perspicaci ingenio a naturâ præditus comparando cum aliquo principio possit de ijs optimè respondere: Huiusmodi sunt illæ: in circulo maxima linea est diameter: linea super lineam cadens, si facit angulos, vel sunt duo recti, vel æquales duobus rectis. Aliæ verò sunt ità difficiles, ut multum studium requirant: Huiusmodi sunt in triangulo Isoscele anguli ad basim sunt æquales inter se: Quadratum Hypothenusæ est æquale quadratis laterum angulum rectum componentium. De his si interrogatus fuisset ille Puer a Socrate nescio utrum benè respondurus fuisset, an potius dicturus nescio: Certè Pithagoras longo studio hanc demonstrationem invenit, et præ gaudio Musis immolasse dicitur centum boves.

35. Obijcies secundo. Qui aliquam veritatem inquirit aut illam prius novit, aut non; si novit, jam est pura reminiscentia: si non novit, inquiri numquam potest, quod non cognoscitur; Ergo cuiuscumque veritatis habemus cognitionem impressam in animâ; Ergò est pura reminiscentia. Rx. non

cognoscere veritatem, qui illam quærit, sed terminos tantum cognoscere, quorum conjunctio nescit utrum affirmanda, an neganda sit, et proinde tenetur est ut rationem aliquam inveniat cujus beneficio cognoscat conjunctionem, vel disjunctionem terminorum eo fermè modo quo diximus in sillogismo, in quo cum intellectus vult inquirere, an hi duo termini Petrus et animal conjungantur in unâ propositione invenire debet alium tertium terminum cum quo separatim comparet utrumque, ut deinde inferat esse conjunctos, et hanc veritatem percipiat Petrus est animal.

36. Objicies tertio auctoritatem S. Aug: li: de quantitate animæ c. 20. ubi cum induxisset aliquem interrogantem, cur nullam artem anima secum attulit, si æterna est respondent: magnam omnino magnam, et quâ nescio utrum ~~it~~ quidquam majus sit, quæstionem moves. Mihi enim videtur omnes artes secum animam attulisse, nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quam reminisci, et recordari. Ergo S. Aug: verè docuit scientiam omnem esse reminiscentiam. R. S.tum Aug:um verè hoc docuisse ex Platone dum esset junior, sed deinde sententiam suam retractasse, et improbasse ut constat li: 1: retract: ca: 8: et alibi. Dixi, inquit, omnes artes animam secum attulisse, nec aliud quidquam esse discere, quam recordari, et quod in disciplinis liberalibus eruditi sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, et quodammodo refodiunt. Sed hoc improbo. Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt non quia ea noverant aliquando, et obliti sunt ut Platoni et talibus visum. Patet ergo S. Aug. auctoritatem afferri contra nos non posse, quia si aliquando docuit omnem scientiam esse reminiscentiam, deinde rationis lumini tantùm attribuit, quod aliquas veritates sine studio cognoscamus.

Articulus quartus.

De mente Cartesii in hac quaestione

37. Cartesius exemplo suo demonstravit illud Horatii:

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte;

Cum enim ad philosophiam accedenti exuenda esse omnia praejudicia seu opiniones animo praeceptas iterumque iterumque monerent, insanire profecto visus est, cum ait, dubitandum esse de omnibus, omnia habenda esse pro falsis, atque hanc veram esse optimam dispositionem ad scientias comparandas. Si nihil aliud fuisse voluisset, quam praejudicia exui ita ut qui ad philosophiam accedit non esset ullius addictus jurare in verba magistri, sed principia et sententias philosophorum ratione diligentia, studio ipse ad examen revocaret ferendus esset, quis tamen illum ferat, cum nullas omnino res a dubitatione hac sua excludit?

38. Afferam verba, quae in pluribus auctoribus ipse legi. Cartesius itaque prima parte principiorum. Dubitemus, inquit, inprimis an ullae res sensibiles aut imaginabiles existant. De iis etiam de quibus dubitari plane non potest ut me hic esse foco assidere manus hasce tamenque hoc corpus meum esse: Dubitabo de mathematicis demonstrationibus, de iis principiis, quae hactenus putavimus esse per se nota. Rationem suae dubitationis affert primo, quia haec omnia per sensus accepimus, quos saepe fallaces experimur: Secundo quia Deus fortasse aut aliquis malus genius nos ita formavit, ut semper fallemur. Neque his contentus vult omnia haberi pro falsis. Suppono, inquit, omnia, quae video falsa esse... Nullos plane habeo sensus... Figura, extensio motus, locus sunt Chimaerae... Numquid ego saltem aliquid sum... Sed mihi persuasi, nihil plane esse in mundo nullum caelum, nullam terram, nullas mentes, nulla corpora nullum [quamquam animus meminisse horret luctuque refugit] nullum, sit, facile supponimus esse Deum. Et inde, inquit,

sis nihil periculi et erroris secuturum. Ac ne quis diceret se jocum hæc affirmare seriò inquit: huic liberæ generalique mearum opinionum eversioni vacabo. Vocat ille quidem hanc dubitationem suam metaphysicam, sed speculativam vult illo nomine significare, quia vult eam adhiberi in contemplatione veritatis non in rebus gerendis, ne nimis stolidi, dum consulimur, dum aliqua facimus, dum amicos alloquimur, esse videamur.

39. Exposita mente Cartesii peto a vobis, ut ne hoc præjudicia exuere an judicium omne deponere rationis lumini renunciare? Ex ore illius illum judico: Si dubitandum est de omnibus, dubitandum etiam de iis, quæ Cartesius dicit: si omnia habenda sunt pro falsis, pro falsis potiori jure habenda sunt quæ Cartesius affirmat: Pro falsis inquam, immò pro impiis, pro blasphemis, pro perniciosis, pro impossibilibus. An ergo dubitem cum ad philosophiam accedo me cogitare, me vivere? an dubitem solem hunc esse, et terram? An Deum ipsum, quem diligimus, cui servimus? An vobis hæc omnia dubitanda proponam ut in verum contemplatione non erretis? Amens profectò sim, et impius. Rationes, quas affert nullæ sunt nam concordi præsertim sensuum testimonio non fallimur, nec Deus veracissimus deceptor naturæ nostræ esse potest.

40. Quod autem nihil utilitatis ex hac dubitatione Cartesii ad scientias comparandas inveniatur sic probo. Ideò dubitandum esset de omnibus, et omnia habenda pro falsis, ut mens præjudiciis exuatur. Sed non minus præjudicium incurrimus cum illâ universali dubitatione ergo nulla utilitas est in illâ. Probatur mi: Ideò præjudicium incurritur in comparandis scientiis, cum reputamus aliqua vera, quia fortasse falsa sunt, Sed multa fortasse sunt vera, quæ falsa putamus, ergo non minus præjudicium incurritur dubitando de omnibus, et reputando omnia falsa quam credendo omnia vera. Deinde scientiæ primis principiis innituntur, Sed si dubitandum est de

primis principijs nulla extat via alia quam ad scientias veniamus; ergo cum illa dubitatione scientias acquirere nunquam possumus.

Articulus quintus.

An in omnibus veritatem assequi possimus.

41. Quaestio haec breviter agitatur contra Dogmaticos, qui de nullâ re dubitare volebant contra quos sit nostra conclusio. Infinita verò sunt, quae a nobis certò cognosci non possunt, et de quibus nihil certi affirmandum est. Probatur primò cap. : Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, ut nihil invenirent: Et Ecclesiastes cap: 8. intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub Sole: Et quantò plus laboraverit ad quaerendum, tantò minus inveniat: Quibus verbis satis constat in rebus naturalibus veritatem inveniri non posse. Probatur secundò experientiâ, Quis enim licet vitam suam in studendo consumpserit, certò affirmare audeat, quae sint rerum principia an ea ab Aris: statuta? an ab Athomistis, an ab Elementaribus, an a Chimicis? Quis noverit unde sit aestus maris reciprocus, unde vis magnetica, unde venti et tonitrua, unde corporum caelestium motus, et quae causa? Ergo fatendum est, non omnia comprehendere nos posse. Quin etiam si de rebus physicis loquimur et a Geometricis recedamus tam pauca sunt, de quibus certò aliquid affirmare possumus, ut dicere liceat cum Socrate: Hoc unum scio, me nihil scire.

42. Ne tamen cum Academicis convenire videamur prae oculis habendae sunt sequentes regulae, prima non ideò quaedam neganda sunt, quod ea mente comprehendere non possumus. Hoc dixisse vidimus Ciceronem loco citato: Veteres quidem negarunt torridam Zonam esse habitabilem aestu, negarunt

Antipodes cum homines capite inverso incedantes concipere non possent, tamen et habitari illam Zonam, et dari Antipodes certum est. Secunda plura potest Deus efficere quam nos mente comprehendere. Haec est doctrina Sanctorum Patrum, inter quos S. Aug: epis: 137. inquit, demus itaque Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Hac regula utimur in rebus nostrae Fidei, et docet Cardi: Bellar: nihil enim, inquit, S. Ephrem deterius esse potest quam velle Divinas res humanâ ratione discernere, atque metiri. Tertia in rebus a Deo revelatis, quamvis rationem humanam superent, intellectum nostrum Divinae Auctoritati subiicere debemus. Ratio est quia Deus est infinitè sapiens, et verax, atque adeo nec fallere, nec falli potest, cum aliqua dicit. Hinc Apostolus 2. Cor: ca: 10. docet captivandum esse intellectum in obsequium Christi.

Disputatio Secunda.

De Naturâ, et obiecto Logicae.

Articulus Primus.

Quid sit Logica, et quotuplex, ubi variae in eadem disp. quaestiones breviter indicantur.

1. Logica definitur facultas directiva operationum nostri intellectus. Eadem dicitur philosophia rationalis, quia rationem maximè perficit: Dicitur etiam Dialectica, quia rectam de rebus omnibus disserendi rationem tradit. Eius auctorem praecipuum fuisse Aris: ipse testatur li: 2. Elen: ca: ultimo de Rhetoricis quidem erant multa et antiqua dicta, De Syllogismis autem omninò nihil habuimus aliud quidquam, quod diceremus prius quam nostrâ inquirentes multo tempore insudaverimus.

2. Dividitur Logica in naturalem, et artificialem. Naturalis est ingenii quaedam vivacitas, et facilitas, per quam aliqui ex naturâ ipsâ sine studio alia ex aliis inferunt, verum sententiam cognoscunt &c. Sic aliquandò videmus pueros, et rusti=

eos in propria pręsertim caria optime disserentes. Artificialis est ipsa facultas directiva operationum nostri intellectus, de qua nobis est sermo. Hęc autem dividitur in actualem et habitualem. Actualis sunt ipsa pręcepta Logicę, et eorum usus: Habitualis est facilitas exercendi pręcepta ipsius Logicę, quę oriri solet ex frequenti repetitione actuum. Sicut enim ex frequenti usu linguę latinę oritur facilitas latine loquendi sic ex frequenti usu argumentandi oritur habitus, per quem sępe argumentamur, quin pręcepta Logicę advertamus.

3. Utraque hęc dividitur in docentem et utentem. Logica docens sunt pręcepta Logicę, quibus docemur modum bene definiendi, dividendi &c. Logica utens est ipse usus huiusmodi pręceptorum, qui usus ad reliquas scientias pertinet, quę veritatem sibi propositam per Logicę pręcepta demonstrant.

4. Quęri hic solet primo an Logica sit virtus. Virtus ex Aris: li: 2. Ethi: ca: 6. est habitus, qui facit bonum habentem et opus eius reddit bonum. Et significat virtutem esse quandam facilitatem bene operandi residentem in anima, et perficientem potentiam rationalem intellectum nempe, aut voluntatem ubi videris excludere Aris:m a nomine virtutis actum aliquem particularem; Non enim sufficit unus actus liberalitatis ad denominandum aliquem liberalem. Virtus alia est moralis, quę perficit voluntatem et mores, alia est intellectualis, quę perficit intellectum, et definitur ab Aris: habitus, quo anima affirmando aut negando dicit verum. Nos ut ab huiusmodi quęstionibus breviter expediamur, putamus, Logicam esse virtutem intellectualem, quia intellectus si bene definiat respiciendo pręcepta Logicę assequitur naturam rei si recte disponat medium terminum in syllogismo veritatem conclusionis necessario infert, et sic de cęteris. Neque obstat, quod multi utantur pręceptis Logicę ad probandas hęreses, ad alios decipiendos, quia hoc non faciunt ex directione ipsius

Logicę, sed ex abusu huius facultatis, et ex propria malitiâ. Quare ut inquit S. Aug: li: 2. de Doc: Chris: ca: 36. non facultas culpabilis est, sed ea male utentium perversitas.

5. Quęritur secundò an Logica sit scientia vel potius ars. Aris: virtutes intellectuales numerat omninò quinque, et sunt intellectus, sapientia, prudentia, scientia et ars. Intellectus est habitus acquisitus intelligendi et utendi pro opportunitate primis principijs. Sapientia est complexum ex omnibus perfectissimis cognitionibus circa omnes scientias, quę humanitus haberi possunt. Prudentia est habitus actiones prescribens hic et nunc, quid utile sit et eligendum, quid inutile et fugiendum in ordine ad finem, seu naturalem felicitatem vel privatam vel publicam. Scientia, ut diximus, est cognitio certa et evidens acquisita per demonstrationem seu cognitio rei per causas. Ars est habitus verâ cum ratione effectivus seu habitus docens per precepta conducentia ad finem docens, inquam, modum efficiendi opus non morale.

6. Artes alię dicuntur activę, alię factivę. Pro cuius intelligentiâ distinguendę primo sunt operationes humanę, quarum alię dicuntur immanentes, alię transeuntes. Immanentes dicuntur illę, quę remanent in operante. Talis est syllogismus mentalis, saltus rectus &c. transeuntes dicuntur illę, quę transeunt in externam materiam, seu recipiuntur in subiecto extraneo ipsi operanti: Talis est actio pingendi &c. rursus alię actiones relinquunt opus post se, ut est eadem ratio pingendi, quę relinquit immaginem: Alię non relinquunt opus post se, ut est actio saltandi. Artes igitur factivę sunt illę, quę relinquunt opus post se et dirigunt operationes transeuntes in externam materiam v.g. statuaria &c. Artes activę sunt illę, quę non relinquunt opus post se et dirigunt actiones immanentes v.g. saltatoria. Deinde artes alię dicuntur liberales, alię mechanicę. Liberales sunt quę liberum et ingenuum hominem decent, nec nobilitatem generis excludunt et sunt pictura, sculptura, architectura &c. Mechanicę sunt quę tantùm lucri gratiâ

= gratiâ exerceantur, et virum nobilem dedecent.

7. Logica itaque cum sit virtus intellectualis neque comprehendatur nomine intellectus neque sapientiæ, neque prudentiæ, reliquum est, ut sit vel scientia, vel ars. Verior sententia videtur esse, quod Logica quatenus præcepta tradit, et cæteris scientijs vel organum, et instrumentum invenit sit ars; quatenus sua præcepta demonstrat et ea ex primis principijs infert sit scientia.

8. Quæritur tertiò utrum Logica sit facultas speculativa, vel practica. Cum tamen non conveniant auctores, quid intelligendum sit nomine facultatis speculativæ, et practicæ integrum vobis relinquo alterutrum defendere. Certè si facultas practica est illa, quæ ad opus aliquod ordinatur, qualecunque illud sit Logica erit practica, quia ordinantur ad definitionem &c. Si facultas practica dicatur illa quæ solum ad aliquod opus extra intellectum dirigitur juxta illud S. Thomæ intellectus extensione fit practicus, Logica non erit practica, sed speculativa quia ad opera solius intellectus dirigitur.

9. Quæritur quartò utrum et quomodo sit necessaria ad alias scientias. Medium aliquod quatuor modis potest esse necessarium ad finem consequendum, primò metaphysicè, vel simpliciter quo genere necessitatis requiritur cognitio obiecti ad illud amandum juxta illud: Nil volitum, quin præcognitum. Secundò naturaliter et physicè quo genere necessitatis requiritur cibus ad vitam conservandam. Tertiò moraliter et hoc modo dicitur necessarium, ut aliquis homo singulis diebus moriatur. Licet enim physicè, et sine ullo miraculo fieri posset ut nullus homo hodiernâ die in toto orbe moriatur. Tamen spectatâ tam ingenti multitudine et humanæ naturæ imbecillitate videtur fieri non posse, ut nullus hodiè moriatur. Quartò ad moralitas esse, quæ propriè non est necessitas, sed potius utilitas, et commoditas. Sic dicimus necessarius equus, vel rheda ut Venis Romam proficiscamur, quia utilis est et maiori commoditate iter conficitur.

10. His positis dico primò Logica naturali metaphysicè, aut saltem physicè necessaria

ria est ad alias scientias. Cum enim sit vivacitas quaedam, et facilitas ingenij, certum
est hominem stupidum, et inertem sine huiusmodi ingenij facilitate scientias
sibi comparare non posse. Secundò Logica actualis, et habitualis est moraliter ne=
cessaria ad acquirendam unam, vel plures scientias in gradu perfecto. Si quis enim
praecepta Logicae non tenuerit videtur quod non sine magnâ difficultate progredi
possit in scientijs, ità ut aliam ex aliâ veritatem inferat. Fateor quidem
Platonem prae foribus suae Academiae scripsisse, nullus Ageometra, hoc est, nullus
ad hanc scolam accedat nisi Geometriâ instructus, quo docuisse videtur Geome=
triam comparari posse sine Logicâ. Sed tamen vel intellexit de aliquibus pro=
positionibus facilioribus et obvijs, quae Logicâ tantum naturali comprehendi
possunt vel ut inquit Galilaeus, ex illis propositiones experimentum fieri vole=
bat de ingenio suorum discipulorum. Caeterum ut quis Geometriam perfectè pos=
sideat, et unum ex alio inferat, procul dubio argumentandi rationem ex Logicâ
mutuari debet.

Articulus Secundus.

De obiecto Logicae.

41. Quod nos obiectum dicimus, veteres subiectum dixere. Obiectum igitur cuiuscumque
facultatis est illud, quod ipsi obijcitur seu circà quod illa versatur. Dividitur in ma=
teriale, et formale. Obiectum materiale est illud circa quod tanquam circà mate=
riam versantur actus eiusdem facultatis. Sic metalla, marmor, ligna dicuntur
obiectum materiale statuariae, quia sunt materia circa quam illa versatur: Et hu=
mana corpora sunt obiectum materiale medicinae. Obiectum formale est ratio prop=
ter quam actus facultatis tendunt in obiectum materiale. Sic obiectum formale
statuariae est exprimere ad naturam hominem, cuius statua effingitur, et obiectum
formale medicinae est sanitas, quam quaerit inducere in humana corpora.

42. Utrumque obiectum dividitur in adaequatum, et inadaequatum. Obiectum mate=
riale adaequatum, et totale est illud, quod adaequat totam latitudinem facul=

ey vel hęc sit scientia, vel ars. Sic corpus omne naturale est obiectum materiale adę=
quatum physicę. Obiectum materiale inadęquatum, et partiale est illud, quod non
adęquat totam latitudinem facultatis. Sic corpus aliquod in particulari v.g. aqua est
obiectum materiale inadęquatum eiusdem physicę, quia pręter illud alia etiam corpora
physica considerat. Obiectum formale adęquatum est illud, quod solum movet, ad usum ali=
cuius facultatis: sic cognitio est adęquata ratio, propter quam studemus physicę. Obiec=
tum formale inadęquatum est illud, quod movet in consortio alterius motivi, ut divitię
acquirendę sunt inadęquata ratio propter quod studemus.

43. Obiectum aliud dicitur attributum, aliud attributionis, in quo tamen explicando non con=
veniunt auctores. Nos contenti sumus illud vocare obiectum attributionis alicuius fa=
cultatis, ad quod ordinantur omnes actus eiusdem et quod primario et per se dirigitur
et consideratur a facultate, et quo demum obtento tanquam suo fine facultas illa
quiescit. Obiectum attributum dicimus esse illud quod consideratur a facultate, non
tamen primario et per se sed in ordine ad illud. Exemplum esto in arte pic=
toriâ. Hęc liberalis facultas considerat primo colores, eorumque mixtionem ut
debita sint confinia lucis et umbrę: hanc tamen mixtionem non considerat per se, sed
in ordine ad veram picturam: haec mixtio colorum est obiectum attributum, vera
autem pictura ad naturam referens hominem, quem pingere sibi constituit, est obiectum
attributionis.

44. His positis quęritur quod sit obiectum attributionis logicę. De primo quidem Nomi=
nales dicunt voces, et nomina esse obiectum materiale, rectam significationem obiec=
tum formale, voces recte expressivas obiectum attributionis. Ratio illis est, quia logi=
ca multum versatur circa voces. Contra illos dicimus, voces huiusmodi non esse obiectum
attributionis logicę, quia non considerantur primario et per se, sed solum quia per voces
exprimuntur conceptus mentis et si de vocibus agit logica solum agit in ordine ad
exprimendos conceptus nostrę mentis; atque adeo tantum habet obiectum attributum,
quod audit a Grammaticâ.

5. Thomistæ docent obiectum Logicæ esse quod ens rationis, aut secundas intentiones. Illa verò dicitur prima intentio, seu cognitio, cum rem cognoscimus, ut est in se: Illa dicitur secunda intentio, cum rebus cognitis quasdam rationes aut denominationes adiungimus, quæ non sunt in ipsis rebus, sed aliam intellectus nostri cognitionem subsequuntur v.g. cum dicimus homo est species, animal est prædicatum &c. Hæc vocantur a Thomistis entia rationis, quod a ratione seu ab intellectu fiant, et etiam vocantur secundæ intentiones, quia ad veritatem tendunt. Hæc igitur dicunt esse obiectum Logicæ. Breviter sic impugnantur: Illud est obiectum facultatis, quod propter se et ratione sui ab ea consideratur; Sed huiusmodi entia rationis non considerantur a Logica propter se, sed tantùm propter operationes mentis, quas ad veritatem dirigit; ergò entia rationis non sunt obiectum Logicæ: S. Thomas, qui asserit solùm nomine entis rationis intelligit nostras cognitiones, a quibus res denominantur genus, substantia.

6. Alij docent intellectum rectè intelligentem esse obiectum attributionis Logicæ, contra quos breviter dicimus. Nulla facultas directiva alicuius operationis habet pro obiecto materiali primario potentiam, a qua procedunt illæ operationes; Sed Logica est facultas directiva operationum intellectus; Ergo non habet pro obiecto materiali intellectum: Si autem intellectus non est obiectum materiale, neque intellectus rectè intelligens est obiectum attributionis. Ma: probatur quia pedes e.g. licet producant rectum saltum, manus rectam scriptionem, tamen nec pedes sunt obiectum materiale artis saltandi, nec manus sunt obiectum materiale artis scribendi.

7. Alij docent res rectè cognitas esse obiectum attributionis Logicæ. Contra quos dicimus. Res non sunt obiectum materiale Logicæ; Ergo res rectè cognitæ non sunt obiectum attributionis. Ant. probatur exemplis, quia obiectum materiale statuariæ et picturiæ non sunt res per statuas et colores repræsentatæ, sed colores ipsi et marmor; Ergo a pari neque res sunt obiectum materiale Logicæ. Præterea quod non mutatur intrinsecè per formam artis, nec formam recipit, nec facit unam

cum illud non est obiectum materiale alicuius artis, sed cognitio est forma omnino extrinseca rebus; Ergo res non sunt obiectum materiale. Ma: patet, quia marmor e.g. intrinsece recipit formam artis, et facit unum opus cum forma statuariae. Ad summum dici potest res esse materiam remotam non ex qua logica facit opus suum, sed circa quam facit, sicut res sunt materia remota circa quam pictoria exercet opus suum.

Articulus Tertius.

Statuitur nostra sententia de obiecto logicae.

28. Sit nostra conclusio obiectum attributionis logicae sunt omnes, et soli modi sciendi nempe definitio, divisio, et argumentatio probatur. illud est obiectum attributionis alicuius facultatis quod ab ea dirigitur, quod primario et per se consideratur pro dirigendo obtento finem illa quaerit, sed omnes et soli modi sciendi diriguntur a logica, primario et per se considerantur, ut illius obtenti finis logica quaerit; Ergo omnes et soli modi sciendi sunt obiectum attributionis logicae. Ma: est definitio communiter recepta obiecti attributionis. Mi: probatur per partes. Et primo quidem in logica dantur praecepta de definitione, divisione et argumentatione; Ergo omnes modi sciendi diriguntur a logica. Secundo de iis solis dantur praecepta aut si quae alia praecepta de universalibus, de distinctionibus, de praedicamentis traduntur, solum ad hunc finem traduntur ut habeatur recta definitio, divisio, et argumentatio. ergo soli modi sciendi diriguntur a logica. Tertio quamvis praecepta de aliis operationibus nostrae mentis ut nuper diximus tradantur a logica ea non considerantur primario et per se sed in ordine ad illos modos sciendi, Ergo ii solum considerantur a logica primario et per se.

29. In hoc obiecto attributionis obiectum materiale est operatio nostri intellectus considerata ut metaphysicae indifferens ad habendam formam seu rectitudinem intentam a logica; obiectum formale est rectitudo huius operationis. Obiectiones quae fieri solent pro aliis sententiis afferre non vacat praesertim cum stabilita nostra sententia ipsae facile corruant

20. Obijcitur itaque primò contra sententiam nostram. In obiecto attributionis omnium facultatum obiectum materiale debet præsupponi obiecto formali, et esse indiferens ad formale. Sed in modis sciendi obiectum materiale non præsupponitur obiecto formali nec est indiferens; Ergo modi sciendi non sunt obiectum attributionis. Probatur mi: ut in modis sciendi obiectum materiale præsupponeretur obiecto formali deberet esse prius operatio definitio v.g. quam definitio recta sed non potest esse prius operatio quam operatio recta. Ergo non præsupponitur. Probatur mi: Quotiescumque est operatio simul est vel recta, vel non recta. Ergò non potest esse prius operatio, quam operatio recta.

21. Rs dis: ma: in obiecto attributionis obiectum materiale debet præsuponi obiecto formali inesse logico con: ma: Debet præsuponi inesse physico subdistinguo in facultatibus fectivis con: ma: in facultatibus activis ne: ma: et dis: mi: in modis sciendi obiectum materiale non præsupponitur obiecto formali inesse logico ne: mi: inesse physico con: ma: et ne: cons: Explico distinctionem. Quod obiectum materiale præsuponatur obiecto formali, inesse logico significat quod obiectum materiale sit logicè indiferens ad bonitatem, vel pravitatem seu prius sit ea prioritate quæ dicitur a subsistendi consequentia: Quod obiectum materiale præsuponatur obiecto formali, inesse physico significat quod obiectum materiale sit prius obiecto formali prioritate physicæ et realis existentiæ. Iam verò operatio intellectus ut est in se considerari potest tanquam indiferens ad rectitudinem vel non rectitudinem: Hæc indiferentia operationis dicitur prioritas inesse logico, et a subsistendi consequentiâ quia nimirum valet illatio, est operatio recta, ergo est operatio, Non autem valet est operatio, ergo est operatio recta.

22. Res clarior fiet exemplo. Quotiescumque datur saltus est vel bonus, vel malus, tamen saltus ut est in se est indiferens ad hoc ut sit juxta regulas artis vel non sit juxta regulas. Contra verò marmor v.g. physicè prius existit quam recta figura ex illo facta. Explico nunc subdistinctionem de facultatibus fectivis, et activis.

Quę sint huiusmodi facultates diximus supra. Obiectum materiale facultatis factivę – v.g. statuarię est physicè prius obiecto formali, quia, ut diximus, est prius physicè marmor quam recta imago. Obiectum facultatis activę non est prius physicè obiecto formali, ut in saltatoria non est prius physicè saltus, quam saltus iuxta regulas artis. Cum autem Logica sit facultas activa non debet esse eius obiectum materiale nimirum operatio prius physice obiecto formali, sed sufficit ut sit prius logicè. Ad prob: mi: distinguenda est eodem modo maior, deberet esse prius operatio quam operatio recta in esse logico con: ma: in esse physico ne: ma: et eadem distinctione utendum est in minori et in consequenti. Ad illud quod addebatur, quotiescumque est operatio simul est recta, vel non recta dis: ans. quotiescumque est operatio in esse physico con: ans. quotiescumque est operatio in esse logico ne: ans. distinctio patet ex dictis.

23. Instabis: si operatio non est physice prior quam operatio recta operatio ipsa non erit dirigibilis, si non est dirigibilis non est obiectum logicę, ergo operationes nostri intellectus, et modi sciendi non sunt obiectum logicę. Resp. dis: ma: non erit dirigibilis in causa ne: ma: non erit dirigibilis in se con: ma: et dis: mi: si non est dirigibilis neque in causa, neque in se con: mi: si non est dirigibilis in causa ne: mi: et cons: Sicuti saltus est dirigibilis ab arte in sua causa nimirum in intellectu, qui benè percipiens pręcepta potest imperare pedibus, ut fiat saltus in numerum, ita operatio est dirigibilis in intellectu tanquam in causa, quia benè percipiens pręcepta logicę poterit ita rem definire ut explicet naturam rei, ita dividere aliquod totum ut divisio adęquet eius partes &c.

24. Obiicitur secundò. Actus intellectus non sunt capaces directionis, sed modi sciendi sunt actus intellectus. Ergo non sunt capaces directionis. Probatur ma: Actus intellectus sunt actus potentię necessarię, sed actus potentię necessarię non sunt capaces directionis, ergo &c. Ma: patet, quia intellectus dicitur potentia necessaria, voluntas potentia libera. Mi: probatur primò exemplis, cum enim visus, et auditus sint actus singuli potentię

necessariæ non possunt tradi regulæ ad eos dirigendos. Probatur secundò et dicitur a priori, quia id solum est capax directionis, quod potest determinari a voluntate cum regula debeat prælucere voluntati, quæ imperat et determinat actum; sed actus potentiæ necessariæ non possunt determinari a voluntate, ergo non sunt capaces directionis.

25. R. ne: ma: ad prob: dis: ma: omnes actus intellectus sunt actus potentiæ necessariæ ne: ma: aliqui actus con: ma: et dis: mi: actus potentiæ necessariæ, qui sint necessarij non sunt capaces directionis con: mi: actus potentiæ necessariæ, qui non sint necessarij ne: mi: et cons: Explico distinctionem. Intellectus dicitur potentia necessaria quia ad præsentiam obiecti illud necessariò aprehendit, et aprehendit necessariò eo modo quo ipsi exhibetur, sicuti speculum necessariò exhibet obiectum, et oculus necessariò percipit ea, quæ ipsi sunt sufficienter præsentes. Hos quidem actus concedimus non esse capaces directionis. Sed plurimi actus intellectus sunt, quos necessariò non elicit: Quis enim dicat intellectum necessariò definire, dividere, et unum ex alio inferre? Ad hos actus unicè movetur ex determinatione voluntatis; hinc actus isti possunt dirigi, et diriguntur a Logicâ per sua præcepta.

26. Obijcies tertiò. Rectitudo operationis, quam diximus esse obiectum formale, est perfectio intellectus, sed Logica non intendit perfectionem intellectus, ergo neque intendit rectitudinem operationis, atque adeò hæc rectitudo non est obiectum formale Logicæ. R. dis: ma: rectitudo operationis est perfectio intellectus realiter con: ma: est perfectio intellectus formaliter ne: ma: et concessa minori ne: cons: Rectitudo operationis, et perfectio intellectus a parte rei sunt unum et idem, sed formaliter seu per nostrum cogitandi modum distinguuntur. Logica intendit operationem rectam non quatenus est perfectio intellectus, sed quatenus talis operatio est. Res patet exemplo. Utilitas, et voluptas in cibo, et potu sunt realiter unum et idem. Aliquis tamen potest capere cibum, et potum hac unâ tantùm ratione quia illi placet præscindendo omninò ab utilitate, quam afferre potest.

27. Obijcies quarto. Definitio expetitur a Logicâ propter syllogismum demonstrativum; sed quod expetitur propter aliud, est obiectum attributum; ergo definitio est obiectum attributum, adeoque non omnes modi sciendi sunt obiectum attributionis. Rs. dis: ma: expetitur solùm propter syllogismum ne: ma: expetitur propter syllogismum, et etiam propter se con: ma: et distincta eodem modo minori ne: cons: Eadem res potest expeti propter se, et propter aliud, dum expetitur propter se habet rationem finis, dum expetitur propter aliud habet rationem medij. Cibus et potus e.g. potest expeti propter se, quia est delectabilis, et potest expeti propter aliud, quia conducit ad conservationem vitæ. Contra medicamentum aliquod nunquam ferè expetitur propter se sed tantum propter aliud, quia nimirum conducit ad valetudinem corporis, adeoque habet tantùm rationem medij. Sic definitio [idem dicendum de divisione] ea est ex naturâ suâ, ut possit expeti propter se, quamvis aliquando dirigatur, et ordinetur ad aliud: Hinc meritò numeranda est in obiecto adæquato attributionis. In hac igitur quæstione præ oculis habendum est, definitionem, et divisionem non esse tantùm medium ad demonstrationem, sed etiam esse finem per se a Logicâ considerabilem, quia expetenda videtur propter se illa operatio per quam venimus in cognitionem essentiæ rerum.

28. Notandum hic est, qui docent, rectam operationem esse obiectum attributionis Logicæ, nobis propriè non contradicere, quia modi sciendi verè sunt recta operatio nostri intellectus. Discrimen est inter nos et illos, quod ipsi velint omnem rectam operationem esse obiectum attributionis Logicæ: Nos tantum statuimus illas tres, quia licet sint aliæ operationes directæ a Logicâ, dignæ tamen non sunt, quæ primariò et per se considerentur.

Articulus Tertius.

Aristotelis, eiusdemque Logicæ, ac totius philosophiæ peripateticæ vindicationes.

29. Antequam philosophiæ universæ disputationes aggrediamur, dicendum est aliquid de ipso Aris: quem Ducem nobis proponimus, præsertim cum multi non desint, qui

illum calumnijs lacessant, quasi in rebus cognoscendis turpiter cæcutierit. Natus est Aris: Stagiræ, quæ est oppidum Thraciæ anno primo Olympiadis 99: urbis conditæ 366. et ante Christum natum 384. postquam audivit per ipsos viginti annos Platonem, Peripateticam sectam in Lyceo suburbio Atheniensi primus instituit. Illum Alexander Magnus per quinquennium audivit. Illum Cicero summis laudibus in Academicis quæstionibus est prosecutus; Illum Plutarchus in Alexandro cunctorum philosophorum Principem vocat; Illum Plinius summum in omni scientiâ virum appellat; Illum Suidas naturæ a secretis fuisse dicit, cui scribenti ipsa dictaret natura et secratissima quæque consilia communicaret; Illud denique amplexi sunt Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaven: Scotus, et plerique Theologi, quod certissimo argumento est, in eius philosophiâ præ cæteris veritatem contineri, et Catholicæ Fidei minus adversarij. Cæterum quod dicitur de morte Aris: qui in mare se proiecerit, propterea quod æstum reciprocum non intellexerit, a multis tanquam fabula omninò reijcitur. Ut enim auctor est Diogenes Laertius obijt Aris: morbo confectus Chalcide anno 30 Olymp: 114.

30\. Quemadmodum verò nescio quo fato ea virtutis conditio est, ut invidorum calumnijs appetatur. Sic Aris: eiusque philosophia a recentioribus præsertim multis convicijs proscinditur, in eoque ingenij laudem sibi constitutam putant, si illum impetant, quamvis sæpe sibi fingant hostem, quem feriant:
Tantus amor laudis, tantæ est victoria curæ:
Quæ contra Aris:[m] dicuntur præsertim a Petro Gassendo duobus libris scriptis in Aristoteleos, videre est apud eruditissimum Theologum P. Dionysium Petavium tomo: 1°: Theologicorum dogmatum cap: 4.

31\. Sunt autem 1°. veteres Christiani nominis hostes plurimum excoluerunt Aris:[is] philosophiam, eiusque ministerio Catholicæ Religioni plurimum nocuerunt. 2°. apud S. Patres, quos diligenter recenset Gassendus, male audiebat Aristotelis nomen, eiusque philosophia. 3°. Decreto Concilij Parisiensis proscripta fuit ab

Academiis hujusmodi philosophia et flammis addicta anno: 1209. 4º primis
Ecclesiæ seculis et S. Patres Catholici Platonem potius sequebantur et Aris: in nullo
pretio habebatur. Quem morem revocare cogitavit Clemens VIII. anno 1595.
et parum abfuit quin ejurandum Ar:tem cogeret Christiani orbis academias.
5º Obscurissima est hæc philosophia, et sæpe quid per Aristotelem significatur as-
sequi certò non possumus: quod ipse Aris: fatetur in literis, quas ad Alexandrum
Macedonem dedit et leguntur apud Aulum Gellium lib: 2º cap. 40. 6º hæc phi-
losophia deficit in necessariis, redundat in superfluis, et quoad res physicas in turpissi-
mos errores prolabitur, dicit enim originem nervorum et sensus esse in corde, cum
compertum sit esse in cerebro: dicit viam lacteam haberi a vaporibus, cum per teles-
copia constet haberi a stellis, quæ propter magnam distantiam nudo oculo non
apparent: dicit mundum extitisse ab æterno &c. 7º Si celebrata aliquandò
fuit Aristotelis philosophia probandum est eam quæ nunc usurpatur in scholis
esse eandem cum illâ, quam Aris: scripsit et lib: qui Aristotelis nomine cir-
cumferuntur esse ejusdem auctoris, quod probatissimi scriptores omninò negant.

32. Hæc sunt quæ legi apud multos objecta esse Aristoteli. Itaque ad primum respon-
deo objectiones nimis probare atque adeò nihil. Annon hæretici sacrâ scripturâ
S. Patribus ac præsertim S. Augustino abutuntur ad probandos suos errores?
Quid inde? num rejiciendæ sunt sacræ literæ? Num culpandus S. Aug: quis
audeat hoc dicere? præterea si hæretici usi sunt Aris: philosophia ad confir-
mandas hæreses non ne S. Patres per eandem philosophiam hæreses profliga-
runt ut demonstrat eruditissimus Melchior Canus lib: 6º locorum Theologi-
corum, et ipse Lutherus dolebat? qui se miserrimè confusum ab hujusmodi
argumentationum telis, cum videret, logicam vocavit pellicem inferorum, et
Aris:um histrionem, qui græcâ larvâ Ecclesiam lusit.

33. Ad secundum dico cum Patre Petavio loco citato Sanctos Patres nihil injuriosa
dixisse contra Aris:um et textus qui afferuntur a Sanctis Patribus a Gassendo, vel

sunt truncati vel falsò ei attribuuntur, ut liber Sancti Justini M: de subversione dogma=
tum Aristotelicorum, cum nihil tale aut cogitaverit, aut scripserit SS. ille philo=
sophus, et Martyr. Deinde si Sancti Patres Aris:m reprehendunt, ideò est, quia vo=
lunt philosophiæ ratiocinijs anteponendas esse Divinas revelationes, neque has negan=
das esse, ut illa admittantur; Non enim Divina Auctoritas metienda est humanis ratio=
nibus. Hoc autem dicebant non contra solum Aris:m sed contra omnes philosophos, quos
ideò Tertullianus vocat hæreticorum Patriarchas, quia volebant omnia metiri ratione
naturali.

34. Ad tertium dico, vel non fuisse a Concilio Parisiensi tale decretum editum, ut mul=
ti dubitant, vel si editum fuit, non damnatus est Aris: ejusque libri, sed versio facta
ab Ægyptijs, et Arabibus, in quâ multa continebantur omninò absurda, et a mente
Aristotelis aliena. Cujus rei certum argumentum est, quod propositiones illæ, propter
quas in Concilio damnatus fuit Almaricus quidam, in versione solum Arabicâ
Aristotelis reperiuntur saltem non sunt in eâ versione, quâ nos utimur. Purgatus
enim est Aris: et illustratus studio, ac labore S.i Thomæ, et S.i Bonaventuræ. Præ=
terea decretum illud si verum fuit ne Parisijs quidem servatum est; Nam post
paucos annos publicè in illâ Academiâ interpretati sunt Aris:m Alexander Alensis,
Albertus Magnus, S. Thomas, et S. Bonaven: Fortasse interdicta fuit illa philoso=
phia ad breve aliquod tempus, et ob causas, quæ contingenter omninò, et ab extrinseco
advenerant Aristoteli. Et sunt primò quod nimia illa subtilitas occasio pluribus esset
in errores prolabendi: Secundò ut componerentur civiles turbæ, quas nimius quo=
rundam in Aris:m amor excitabat. Tandem Concilium illud fuit Provinciale,
non Generale, et Œcumenicum, atque adeò non est magnæ auctoritatis.

35. Ad quartum fateor Platonis philosophiam a pluribus exceptam fuisse, et propa=
gatam primis Ecclesiæ temporibus præsertim a S. Augustino; Suos tamen Secta=
tores numerabat Aris: inter quos aliqui S. Patres, quos numerat Cardinalis Baronius
ad annum Christi 234, et 235. Immò dici potest, quod qui ob majorem nominis

dignitatem Platonici dicebantur erant etiam Aristotelici; Constat enim ex Cicerone
lib: 2. Academicorum, et ex S. Augustino de Civitate Dei omnino eandem fuisse phi=
losophiam Platonis, et Aristotelis in iis, quæ ad Logicam, et physicam pertinent paucis
exceptis. Quod dicitur de Clemente Octavo narrat Cardinalis Sfortia Pallavicinus
historicus religiosissimus veritatis amator. Hortabantur nonnulli Summum Ponti=
ficem ut Platonem in scholis revocaret: Pontifex de hac re sententiam rogavit
Cardinalem Bellarminum virum cui parem in doctrinâ Ecclesia nullum habebat,
ut ipse Pontifex testatus est dum sacra purpura donaret. Bellarminus itaque
ad Pontificem retulit id nequaquam expedire. Primò quia Platonis philosophia
non docet modum illum mirificum et maximè opportunum ad hæreses profli=
gandas conficiendi syllogismos: Secundò quia moralis philosophia Platonis quamvis
in speciem faveat Catholicæ religioni, tamen sub tegumento veritatis multorum
errorum semina celat, quod dici non poterat de Aristotele. Pontifex autem Bellar=
mino acquievit.

36. Ad quintum falsum hoc probat esse Melchior Canus lib: decimo de Locis Theologicis.
Equidem non inficior, Aristotelis opera ingenii aciem sibi postulare, ut intelligantur;
Cum enim agat de abstractis veritatum connexionibus, tum de occultis rerum causis, hæc
sanè intelligi nequeunt, nisi a diligenti viro et ingenioso. Sed omninò hoc objici posset
etiam aliis philosophis, præsertim recentioribus, qui tot demonstrationes Geometricas,
tot physico-mathematicas quæstiones in suâ philosophiâ admiscent, ut summum
prorsus ingenium requirant. Vellent aliqui illud philosophiæ genus, quod feminæ
etiam intelligant contra illud, quod docet Severdis, atque adeò multa dicunt, et
in speciem pulchram sed nihil probant. Quod attinet ad epistolam Alexandro Magno
scriptam supponendum est, questum esse Alexandrum nescio qua de causâ, quod Aris:
Philosophiam suam in publicum edidisset: Respondit Aris: vel assentationis vel offi=
cii causâ se quidem sua dogmata publici juris fecisse tamen verò eorum esse obscuritatem
et difficultatem, ut eorum intelligentia solius Alexandri ingenio servata esset, qui vera

significationem ab ipso exceperat.

37. Ad sextum ergo hoc obijci posse Aristoteli, quod constabit si patienter non minima eius libri evolvantur, quâ enim causâ in tanto honore, ac pretio habitus fuisset a Cicerone, Plinio, Plutarcho, alijsque doctissimis viris, si eius scripta in rebus necessarijs defecissent. Hoc fortasse obijciendum est aliquibus philosophis peripateticis, qui certè et obscuri sunt, et in multis explicandis deficiunt, et in quaestionibus nullius momenti multum temporis insumunt, et pro ijs tamquam pro aris, et focis acerrimè digladiantur. Hoc tamen emendarunt recentiores Peripatetici, qui abiectis inutilibus, et obscuris in rebus naturalibus explicandis diligentiores sunt, et prorsus nihil caeteris philosophis inferiores. Quod autem in aliquibus erraverit Aris: con: An non fortasse saepius erravit Epicurus, an non Plato an non Cartesius, an non Gassendus, dum vel mundum ex athomis casu quodam coaluisse, animas rationales cum corpore interire vel easdem animas ab aeterno creatas esse extra corpora vel absolutè dari vacuum non posse vel sydera singula esse totidem Soles et centrum sui vorticis occupare &c. docuerunt. Sicuti ergò summi philosophi reputantur Epicurus, Plato, Cartesius, Gassendus, quamvis in aliquo erraverint; ità errores, in quos prolapsus est Aris: eius laudem ac famam imminuere non debent. Nimirum dandum est aliquid, quod Fidei lumen non habuerit, quod telescopia et microscopia nondum inventa essent quorum beneficio Astronomia, et Anatomia multa cognovit. Quod mundum ab aeterno crediderit esse, mea quidem sententia ferendus videtur. Cognovit ille lumine naturali Deum esse summum bonum, et bonum esse diffusivum sui, atque hinc inferebat debuisse Deum se diffundere ab aeterno in res creatas. Non enim ex Divinâ Fide cognoscere poterat alio modo se posse Deum ut summum bonum diffundere, et se diffudisse nimirum ab intra ut loquuntur Theologi, generando ab aeterno Unigenitum Filium suum. Caeterum non sequimur Aris:tem in ijs, in quibus erravit. Hinc accidit quod aliqui errores in eius philosophiâ irrepserunt

ex Avicennâ, et Averroe alijsque commentatoribus a quibus libenter recedimus.

38. Acceptissimum hæc affertur historia circa libros Aris:ᵗⁱˢ ex Strabone lib: 13. et Plutharco in vitâ Lucij Syllæ. Dicunt Aris:ᵗᵉᵐ morti proximum libros suos Theophrasto auditori a successori suo dono dedisse, hunc Neleo cuidam legasse, et deinde ad eius hæredes hæreditario iure pervenisse qui veriti ne Pergamum transferrentur ubi Attalicum Reges ex libris undequaque comparatis insignem Bibliothecam construxerant, eos inaltissimâ foveâ oculuerunt ex quâ cum tineis et humiditate corrupti extracti essent vendiderunt Appelliconi Theio, qui ut corrosiones illos suppleret Aris:ᵗᵉᵐ pænè destruxit. Sic emendatos vel potius corruptos Aris:ᵗⁱˢ libros Romam detulit Lucius Sylla, et in latinum vertendos tradidit Thirranioni Grammatico Pompei magni præceptori a quo accepit exemplaria Andronicus Rhodius qui etiam emendasse dicitur. Hinc fumum esse videtur utrum quæ in Aris:ᵗⁱˢ libris continentur ignoramus, quo auctore conscripta sint. Certè Demetrius Phalereus dum jussu Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti celebrem illam Alexandriæ Bibliothecam adornaret in quâ numerabantur 300000. volumina, nec negligendos putaret illos libros, qui Aris:ᵗⁱˢ nomine inscripti essent, usque ad 40. Analyticorum libros coegit, quos se vidisse testatur Philoponus. Scribit enim Ammonius plures exhibuisse Demetrio libros Aris:ᵗⁱˢ nomine insignitos vel ut famam tanto nomine sibi compararent, vel ut magnâ mercede divenderent. Præterea Diogenes Laertius texens indicem librorum Aris:ᵗⁱˢ plures non numerat, quos habemus. Ergo ex his omnibus sequitur, dubitare nos posse, an Genuini sint ij libri, quos dicimus esse Aris:ᵗⁱˢ.

39. Rᵒ: hæc certum esse ab ijs, qui cum negare omnia aperta non audeant in dubium saltem revocare conantur, sic proinde saepe legimus dubitari apud eos de operibus etiam Sanctorum patrum, quorum ᵘᵐ perpetua traditio docebat eos esse auctores. Non nego, temporum iniuria et malorum versionibus plures errores in libros Aris:ᵗⁱˢ irrepsisse, ac proptereà dubitari posse de mente ipsius, in qui=

busdam rebus nihilominus cum Cardinali Pallavicino ne: dubitari posse prudenter de iis, quae sunt fundamentum totius doctrinae Aristotelicae, quae non pendent ab unâ vel alterâ voce, sed ab argumentis et rationibus, quae varijs in locis semper eadem reperiuntur. Quod autem Genuini sint Aris:is libri, qui communi Peripateticorum consensu ei tribuuntur, evincit haec ipsa sapientum consensio, sicuti contra Faustum testatur S. Aug: lib: 32. cap: 6: inquiens libros Aris:is esse Genuinos probant temporum sibimet succedentium contestatione perpetuâ. Ergo S. Doctor nihil de iis dubitabat. Deinde à S. Thomas S. Bonaven: Scotus, et alijsque doctissimi viri pro legitimis semper habuerunt: Et ipse Severinus Boetius antiquissimus auctor appellavit Andronicum Rhodium lib: Aris:is restitorem, ac indicem et Porphyrius in scribendâ librorum ~~[illegible]~~ Plotini dispositione declarat se immitari Andronicum qui confusos Aris:is ac Theophrasti libros in ordinem digessit idem affirmat Franciscus Patritius Senensis in veterum philosophiâ versatissimus. Pluris ergo valeat apud nos horum virorum auctoritas quam unius Gassendi diligentia, vel potius invidia. Demum quod in Bibliothecâ Alexandrinâ tot libri numerarentur nomine Aris:is consequenti tempore ex alia exemplaria quae alijs in locis servabantur vera a suppositijs discerni potuerunt. Quod Diogenes Laertius in suo indice aliquos non numerat dici potest, vel quod ipse non putavit esse Aris:is, quod multi alij sentiebant, et quod deinde perpetua traditio confirmavit, vel quod ipsi adhuc non essent noti vel quod libri, quos relinquit ad finem sibi propositum non fuere.

40. Dices Cicero commendat in Aris:is libris elegantiam, copiam, et ubertatem dicendi, sed nihil ex his dici potest de libris quibus nos utimur, ergo libri, quibus utimur non sunt Aris:is Rs. con: hos libros plurimum amisisse nitoris, et elegantiae per tot versiones, et traductiones; Integram tamen adhuc perstare substantiam doctrinae, quod puncta principalia cum in omnibus versionibus

hæc legantur eadem.

41. Sed quorsum hæc tam longa disputatio? Num libros hosce venerabundi accepimus magis quia Aris: sunt quam quia veri? Nihil profectò minus. Veritatem in Aris: amamus potius, quam Aris: nomen: si hæc inveniatur in eius libris hanc sequimur huic uni nubemus nunquam repudiandi. Sin igitur hi libri Aris: vel alterius veritatem unice quando nobis esse videbitur sequemur. Neque hæc disputatio tam altè a nobis ideò repetita est ut mens nostra sit in omnibus verborum apicibus sequi Aris: sed ideò ut si quando Arism eiusque philosophiam male accipi audiatis vel ignorantiâ vel invidiâ dici pro certo habeatis.

Logicæ pars prima.

De his, quæ spectant ad primam operationem nostri intellectus.

Disputatio prima.

De Ideis.

Articulus primus.

De naturâ nostrarum cognitionum.

1. Sicut logicam diximus esse facultatem directivam operationum nostri intellectus, ita quæcumque in logicâ tradenda sunt ad eas operationes spectare debent. Ac primò quidem de simplici apprehensione aliquanti dicenda sunt nimirum an affirmandæ aut negandæ sint omnes ideæ an ab illis desumendum sit veritatis quod dicunt criterium ut ea deinde quæ de distinctionibus de universalibus de prædicamentis tradi solent breviter afferamus. Quærimus in præsenti quid sit cognitio: in hoc articulo ad ubertatem doctrinæ multa necessariò tradenda sunt ex libris de animâ, quod eo libentius facio, quo magis credo tempus vobis non affuturum, ut huic materiæ studeatis.

2. Suppono itaque primo hominem in hac mortali vitâ tres habere facultates repræsen=

tativas, seu perceptiones, quibus anima sibi repraesentat et percipit res exter=
nas, prima dicitur facultas sensitiva exterior, et dividitur in quinque sensus visum,
auditum, gustum, olfactum, et tactum, qui sensus sunt anima ipsa unita par=
tibus illis humani corporis, qui accomodati sunt ad aliquam perceptionem rerum
externarum habendam, partesque illae corporeae vocantur organa sensus. Sic
oculus dicitur organum seu instrumentum. 2. dicitur facultas sensitiva inte=
rior, quae communiori nomine dicitur phantasia, seu facultas imaginativa, quae
est realiter ipsa anima unita partibus corporis aptis ad immaginandum nempe
parti praecipuè cerebri, quae proinde dicitur organum phantasiae. 3. dicitur
facultas intellectiva seu mens, et potentia cognoscitiva, et est ipsa hominis
anima quae licet dum est unita corpori ministerio sensuum plerumque in=
digeat, tamen per se sola habet vim intelligendi et cogitandi. Hanc vim no=
bis inesse per propria experientia docemur, et per hanc a brutis animantibus disc=
rimus. Intellectus, memoria, et voluntas, quamvis in ordine ad diversos effectus
concipiantur, solum per nostrum modum cogitandi distinguuntur, et realiter
sunt idem. Ut enim inquit S. Bernardus in cantica, in animâ meâ intueor
rationem, ~~m~~ memoriam et voluntatem et haec tria una sunt anima.

3. Suppono 2° contra Cartesium cognitiones esse aliquid realiter ab intellectu
distinctum. Illa enim realiter distinguuntur, quae separantur; sed intellectus
separatur a cognitionibus [singularibus nempè et individuis] ergò cognitio=
nes realiter distinguuntur ab intellectu. Mi: patet, quià licet Cartesio conce=
damus animam semper aliqua cogitare, et pueros ipsos vel recens natos,
vel in utero matris inclusos, vel nos inter somnum semper aliqua in mente
volvere, tamen aliquas cogitationes in particulari modo habemus, modò non
habemus, ergò intellectus a cognitionibus singularibus separatur. Accedit auctori=
tas Sanctorum Patrum apud Petavium tom: 4. lib: 2. cap. 6. qui communi
consensu docent hoc discrimen esse inter Deum et creaturas, quod Deus non
distinguitur a sua intellectione, creaturae autem distinguuntur.

4. Suppono 3° cognitiones non esse substantias, sed accidentia et modos spirituales,
quos alii vocant qualitates per actionem ipsam cognoscendi ab intellectu produc=
tas. Et accidentia seu qualitates spirituales sunt non materiales et corporeae.
quia per cognitiones anima nostra contemplatur Deum, substantias spirituales

veritates scientificas et prima principia, quod præstare non posset ~~anima~~ anima, si materialiter natura cognosceret. Præterea anima separata a corpore cognoscit Deum sed ideo cognitio, quam habet de Deo in illo statu certè est spiritualis; ergo spiritualis est etiam cognitio quam habet de Deo, cum est unita corpori. Suppono ~~...~~ cognitionis animæ esse vitam ipsius in actu secundo ut alibi diximus.

5. Explicandum est modò ~~unde~~ oriatur cognitio, in quo plures sententiæ sunt. Tunc cognoscere vel cogitare dicimur, cum rem cognitam nobis exhibemus aut repræsentamus, et hinc illud proverbium: Intellectus intelligendo fit omnia. Intellectus enim producendo cognitiones suas, idque in se ipso recipiendo producit et recipit imaginem similem et intentionaliter repræsentantem objectum. Quod vero format, et certam veluti figuram cogitationem nostram circumscribit, et determinat, hoc ideam vel speciem nominamus. Quæ idea non minus est nobis nota, quam ipsa cogitatio, et cognitio. Si enim rem aliquam cognosco huius ideam vel imaginem, quæcunque ea sit, mihi videor animo cernere.

6. Epicurus ex Democrito hanc cognitionis nostræ originem tradit. Putavit ille singulas res emittere tenuissimas quasdam immagines et figuras, seu quæ per rerum ~~...~~ undique volitantes tenuitate suâ per sensus ingredientes in animam quam cum penetraverint, ab intellectu videantur hæ immagines vocavit simulacra, spectra, et idola corporea: Audiatur Lucretius, qui hanc sententiam versibus expressit.

Dico igitur rerum effigies, tenuesque figuras
Mittier a rebus summo de corpore earum
Quæ quasi membrana vel cortex nominitanda est. Impugnatur hæc sententia certè falsa pº. argumento Ciceronis lib: 2. de natura deorum: Incredibile est esse semper in promptu, et in omni loco immagines omnium rerum, quas possumus cogitare v.g. immagines Cæsaris, Homeri, Troiæ: ergo cognitio non oritur ex illis tenuissimis figuris, quas res emittunt. Secundò incredibile est eas immagines durare tot annos, quot possumus cogitare de rebus: ergo &c. Tertiò possumus cogitare res futuras, quæ nunquam extiterunt, res possibiles quæ nunquam existent. Sed ~~...~~ ab huiusmodi rebus nullæ ~~...~~ immagines emitti possunt; Ergo cognitio non oritur ex his immaginibus.

7. Plato in libro qui inscribitur Menon, putavit in animabus rationalibus impressas

esse ab aeterno omnium rerum imagines, ideas, et cognitiones quarum dum in corpus infunduntur, omninò obliviscuntur et earum deinde per studium, et laborem recordantur. Quare ex sententiâ Platonis cognitiones nostrę oriuntur ex primis illis cognitionibus, quas Deus in animâ impressit.

8. Peripatetici, quibus hac in re assentitur Gassendus, putant animam rationalem per phantasmata tantùm corporea intelligere, et cognitionem omnem, seu ideam ortum ducere a sensibus, qui sicuti in organo externo accipiunt aliquam impressionem ab obiecto, ità eam traducunt in cerebro, ubi residet phantasia. Dum autem anima se convertit ad istam sensationem in cerebro relictam producit de eodem obiecto cognitionem seu perceptionem spiritualem, in quâ perceptione consistit essentia cognitionis.

9. Rem autem hoc modo procedere dicunt. Res omnes sensibiles emittunt quosdam veluti radios, qui sensum feriunt et in organo eiusdem sensus producunt imaginem rei. Sic facit in oculo res visibilis. Radij illi vocantur species impressę, et impressio producta in sensu dicitur visio, auditio &c. quę tamen non est formalis imago, sed tantum virtualis. Species istę, quę sunt aliquod accidens producuntur in aere proximo corpori et per novam, et novam productionem ad organa sensuum pertingunt, in quibus sicut in cętero corpore residet anima. Declaramus hoc idem exemplis. Primò enim in speculo a radijs emissis ab homine, qui ante illud statuitur, ipsius hominis imago producitur. Secundo si fiat aliquod angustum foramen in fenestrâ et cubiculum obscuretur, in adverso pariete ad iustam distantiam imagines obiectorum externorum depinguntur, licet ordine inverso. Tertiò idem clarius fiet, ut infrà dicemus si adhibeatur ad occludendum illud foramen, vel vitrum convexum vel oculus bovis. Ab istâ imagine receptâ in organo sensus producitur in cerebro alia imago rei, quę dicitur imaginatio, seu phantasma. Deinde transit anima ad cognoscendum spiritualiter, vel ideò quia Deus sic statuerit vel quia intellectus habeat hanc virtutem. Istę imagines

spiritualis nunc cognitio expressa obiecti, et quædam intellectualis visio, et dicun=
tur species expressæ. Maior verò, et minor perfectio huius imaginis spiritualis sicu=
ti maior, et minor perfectio imaginis materialis receptæ in cerebro oritur aliquandò
a diversâ dispositione potentiæ organorum sensûs et nervorum aliquandò a maio=
ri vel minori propinquitate obiecti.

20. Inter imagines receptas in organis sensuum, et imagines receptas tum in cerebro
tum in intellectu hoc est discrimen, quod primæ nullum sui vestigium relinquunt.
Nihil enim remanet in oculo post visionem, nihil in auribus post auditum concentum.
Contrà aliæ imagines relinquunt quasdam sui species, quæ dicuntur species reme=
morativæ, ad quas advertimus cum volumus recordari.

21. Utrum hæc omnia ita se habeant definire in præsenti non necesse. Si enim intel=
lectus ipse a speciebus corporeis ope sensuum, nervorum, et cerebri in phæ=
antasiâ depictis alias omninò spirituales imagines extrahit, et sic demum intelli=
gere dicitur, et rerum ideam sibi effingere, explicandum est, quomodo et quædam
impressionem possint facere res corporeæ in rem incorpoream, quæ certè est
mens nostra: Et quomodo intellectus eam vim habeat, ut ex phantasmate spe=
ciem intelligibilem veluti cudat.

22. Cartesius itaque nullam vim in obiectis esse putavit ad immittendas species sui
sensibiles in organa sensuum, nec in sensibus vel phantasiâ ad eas species efforo=
mandas, et omnem operationem voluit esse passivam in nobis ita ut intellectus nos=
ter non ipse producat, sed recipiat a Deo ideas omnes rerum a se percipiendarum.
Istas autem ideas dicit esse vel innatas, vel adventitias vel factitias, quas explica=
vimus. Idea igitur, de quâ est præsens quæstio, nihil est aliud quam conceptus
de re aliquâ.

23. Duplex est alia formalis, alia obiectiva: Idea formalis est forma, seu modus, dispo=
sitio, et affectio intellectus percipientis: Idea obiectiva est ipsum obiectum, seu res
ipsa mente percepta, et rei quædam species intellectui exhibita. Sicuti autem

homo componitur ex animâ et corpore, in duas species perceptionum distinguuntur. Prima dicitur imaginatio, et est illa perceptio, per quam intellectus sese ad phantasma quoddam seu impressum in cerebro vestigium applicat ut cum de Sole animalibus, arboribus cogitat. Altera est intellectio pura, quæ propria est intellectus rationalis et est illa perceptio per quam ex occasione phantasmatis rem percipit, quæ nullo phantasmate comprehendi potest. Sic cum veritatem aliquam Geometricam mens nostra demonstrat, utitur quidem formis corporeis, sed nulla sunt in cerebro impressa vestigia, quæ rem ab omni sensu remotam exhibeant, sed de hac veritate habet tantum intellectionem puram. Quæres, quomodo anima excitetur ex occasione phantasmatis ad aliquid purè intelligendum? Respondet Cartesius, ea lege animam esse conjunctam corpori, et eam vim habere ut ex occasione sensuum exprimat distinctas rerum ideas, et intellectus spirituales imagines percipiat, cum prius ab aliquâ corporea imagine excitantur. Cum enim excitata est in nobis imago rei corporeæ per sensus, Deus Divino suo lumine illustrat et irradiat mentem, ut possit percipere rem iuxta idam similitudinem, quâ rem ipsam in mente producit, et mens nobis ideam infudit ut infrà probabimus ex S. Augustino.

24. Cæterum advertendum est primò mentem Cartesii esse, ut res purè intelligibiles per ideas ingenitas percipiamus, quæ Divino Numine irradiantur, cum per sensus aliqua occasio exhibetur: Res corporeæ, quas solum immaginamur, non per ideas percipiamus, sed per sensum intimum seu conscientiam quatenus ab obiectis imprimuntur in organis sensuum aliquis determinatus motus, et a sensibus phantasiæ communicantur, de quo motu conscia sit anima. Quæ verò sensum intimum cognoscimus, cognoscere putat Cartesius cognitione solum materiali, cum ipse admittat duplicem animam in homine unam spiritualem, quæ rationalis est, alteram materialem, quæ sensitiva est et immaginativa, quod ego certè non dicerem. Secundò cum dicit ideas excitari occasione phantasmatum

non intelligit obiecta immittere species sui in phantasiam, ad quas se anima convertat, sed quod ex occasione, quod aliqua videamus, audiamus &c. motus aliquis corporeus fiat, per quem juxta legem a Deo statutam corpus inter, et animam ideæ excitantur.

25. Ideæ innatæ ex Cartesio meditatione tertia metaphisicæ n: 22. est idea, quæ menti nostræ ab ipsâ creatione divinitus est ingenita, et a solâ primâ causâ sine sensuum auxilio originem ducit. Talis est idea entis in genere, et veritæ existentiæ, unitatis, veritatis, bonitatis, perfectionis, pulchritudinis, durationis, ordinis, relationis, proportionis &c. et entis in specie, Dei nimirum et creaturæ, substantiæ cogitantis et extensæ, et reliquarum rerum omnium immutabilium, et necessariarum. Horum omnium ideas naturaliter nos habere dicit non a sensibus ortas esse, et ad libitum comparatas.

26. Ideæ adventitiæ sunt illæ quæ variarum rerum occasione nobis adveniunt, aut in mente nostrâ excitantur, quales sunt ideæ qualitatum sensibilium coloris, soni, odoris, saporis, quæ omnes in nobis excitantur per motus corporeos. Dicit enim Cartesius nos ideo cognoscere flores esse odoros, ignem calidum, lucidum solem, quia ista obiecta variè movent organa nostrorum sensuum, qui varios motus causat etiam varios motus in cerebro, a quo dividuntur nervi et tandem ex vario motu cerebri excitatur cognitio odoris, caloris, lucis; Itaque si nomen ideæ accipiatur in sensu magis stricto, dici non potest nos habere huiusmodi rerum ideam, sed tantum sensum intimum et cogientiæ.

27. Ideæ factitiæ vocantur illæ quæ componuntur ex ideis, quibus mens jam informata est ut cum ex ideâ extensionis, et ideâ auri montem aureum immaginamur, et effingimus.

Articulus secundus.

Innuitur prima conclusio.

Dantur in nobis ideæ innatæ.

18. Probatur primò. Plura cognoscimus et intelligimus, et de pluribus veritatibus obiectivis habemus in mente spirituales immagines, seu species, quin habeamus per sensus; Ergò sunt divinitus ingenitæ; ergò sunt ideæ innatæ. Probatur ant: Cognoscimus et intelligimus Deum, cognoscimus prima principia, et veritatum connexiones, relationes, proportiones, extensionem, divisibilitatem et alia id genus; Sed in his cognoscendis non indigemus ministerio sensuum; Ergò plura cognoscimus &c. quin habeamus per sensus. Probatur mi: Proposito menti nostræ hoc principio: totum est maius suâ parte et propositâ connexione aliarum veritatum Geometricæ cum aliis, et pulchritudine ac proportione partium in aliquo corpore hæc omnia intelligimus solum reflectendo supra nos ipsos, et supra lumen æternum quo Deus humanas mentes illuminat et informat; Ergò in his cognoscendis non indigemus ministerio sensuum; Ergò si de facto cognoscimus, cognoscimus solum respiciendo ad ideas ingenitas. Probatur cons: primi antecedentis: Si plura cognoscimus quin habeamus per sensus, nulla alia est assignabilis causa harum cognitionum, nisi dicendo, quod eas habeat anima a Deo et ab ipso producantur in mente nostrâ per quandam irradiationem æterni luminis; Ergò cognitiones istæ sunt ingenitæ, et innatæ quas vult Cartesius.

19. Probatur secundò, ex sacrâ Scripturâ psalmo quarto. Signatum est super nos lumen vultus tui: Job 38. posuit Deus in visceribus hominis sapientiam; Sed improprie diceremus posuisse Deum in homine sapientiam, et signasse super nos lumen vultus sui, si nullam omninò rerum cognitionem in mente nostrâ impressisset. Ergò aliquam cognitionem impressit et hanc dicimus esse ideam innatam. Probatur mi: Quomodo sapientiam in homine Deus posuisset, si intellectum tamquam tabulam rasam nullis impressam caracteribus nobis dedisset? Dedisset quidem instrumentum, quo nobis comparare sapientiam possemus, sapientiam ipsam, ut dicitur in Job.

20. Probatur tertiò. S. Thomas q. 11 de magistro art: 1. prior universales conceptiones, quarum cognitio nobis est naturaliter insita, sunt quasi semina omnium sequentium cognitionum: Et 1. p. q. 84. art: 5. docet cuncta cognosci in rationibus æternis ut in cognitionis principio quia per sigillationem Divini luminis in nobis omnia demonstrantur. Ergò S. Thomas aliquas cognitio=

nos admittit naturaliter insitas, quæ Divino lumine demonstrantur, et has dici-
mus esse ideas innatas.

21. Probatur quarto ex S. Augustino. li: 2. de libero arbitrio num: 41. alias cap: 16. quidquid te delectat in corpore, et per corporeos allicit sensus, vides esse numerosum, et quæris unde sit, et in te ipsum redeas, atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas, quæ pulchra sentis exterius. Ergo S. Aug: agnoscit in nobis esse ingenitas pulchritudinis, et proportionis leges secundum quas tantum judicamus aliqua esse pulchra.

22. Et lib: 8. de Trinitate cap: 3. ubi novimus quid sit justitia etiam cum justi non sumus. Si extra nos novimus in aliquo corpore novimus, sed non est ista res corporis: In nobis igitur novimus quid sit justitia, et justus, et lib: 11. de Civ: Dei cap: 26 et sumus, inquit et nos esse novimus, et id esse, ac nosse diligimus; In his autem tribus nulla nos falsitas turbat: Non enim ea ullo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo &c. sed sine ulla phantasmatum imaginatione mihi esse me, idque nosse et amare certissimum est; Ergo S. Doctor admittit ideam innatam justitiæ, et docet nos ipsos nosse et diligere per cognitionem ingenitam.

23. Quod autem hujusmodi ideæ Divino lumine irradientur cum per sensus aliqua occasio exhibetur docet S. Aug: in lib: de verâ Religione ubi inquit vox hæc læta omnis ratio nostra accenditur: Unus est omnium magister, qui docet hominem scientiam. Admonent nos quidem homines sonis verborum aures percutit, sed cathedram in cœlo habet qui corda docet. Et lib: 6: de musicâ docet in divinæ sapientiæ luce de rebus intelligibilibus nos veraciter judicare.

24. Demum Tertullianus lib: de animâ inquit: Qui ejusmodi arrogationes animæ [nimirum notitiam Dei, et primorum principiorum] non putavit doctrinam esse naturæ et congenitæ et ingenitæ conscientiæ tacita commissa dicat potius de vernalis in vulgus opinionibus literarum usus, sed certe prior est anima, quam litera, et prior sermo, quam liber et prior sensus, quam stylus. et prior homo ipse, quam philosophus, aut poeta.

Et lib: de testimonio animæ: Ea portulo, inquit, quæ tecum in hominem

infert, quæ aut ex temetipso aut ex auctore tuo sentire didicisti: At natura animæ pleraque suggeruntur, quasi de publico census quo animam Deus dotare dignatus est. Ergo ex Tertulliano anima novit aliqua ex se ipsâ, et principijs ingenitis; ergo in creatione aliqua semina infert, ergò aliquibus cognitionibus animam Deus dotavit, et has dicimus esse ideas innatas.

25. Hanc sententiam sublato errore de creatione animæ extra corpus hauserunt S. Patres ex Platone. Audiamus hic: in oratore itaque, inquit, ut Phidiæ simulacris, quibus in illo genere nihil perfectius videmus, et his picturis quas nominavi excogitare enim possumus pulchriora. Nec verò ille artifex cum faceret Iovis formam, aut Minervæ contemplabatur aliquem, ex quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens in eâque defixus ad illius similitudinem artem, et manum dirigebat. Ut igitur in formis, et figuris est aliquid perfectum et excellens cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt. Sic perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor, et magister Plato, easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri. Videtis itaque ex Tullio Platonis sententiam exponente nos habere impressam in animo ideam perfectæ eloquentiæ, et pulchritudinis, ad quam ideam respicimus, cum aliqua scribimus, et cum Phidias ille Iovis statuam effinxit.

Articulus ~~Secundus~~ Tertius.

Respondemus obiectionibus.

26. Obijcies primo. Textus quos ex sacrâ Scripturâ afferimus non probant dari ideas innatas. Ergò ex auctoritate sacrarum literarum probare non possumus. Pro: ant. Sancti Patres, et sacri Interpretes longè

aliter explicant, Intelligunt enim pro lumine Divini vultus signato super nos vel lumen rationis, vel illam similitudinem Dei ad quam factus est homo. Idem dicunt de sapientiâ positâ in visceribus hominum; ergò non probant ideas innatas. R. dis: ant. non probant evidenter con: ant. non probant probabiliter ne: ant. Ad probationem dis: ant: Sancti Patres longè aliter explicant, ità tamen ut aliqui etiam de ideis intelligi possint con: ant: Ità ut eorum explicationes ad ideas traduci non possint, ne: ant. et cons:

27. Quinque de causis adhibui istos textus Sacræ Scripturæ ad confirmandam sententiam meam. Prima quia literalis sensus eorum verborum hanc sententiam præsefert, licet autem omnes sequi literalem sensum Sacræ Scripturæ, quando non adest ratio evidens in contrarium. Secunda quia S. Aug: in eundem Psalmum sic explicat: Hoc lumen est verum bonum, quod mente conspicitur signatum in nobis, tanquam denarius imagine Cæsaris, ut quemadmodum Cæsari redditur nummus ferens impressionem imaginis suæ; sic Deo redditur anima lumine vultus eius illustrata, atque signata. Et clarius in Matthæum cap: 22: Signatum est super nos &c. hoc est imago, quam cognoscis. Ecce S. Aug: in his verbis lumen Divinum signatum super nos esse dicit verum bonum, nempè Deum quem mente conspicimus, seu imaginem Dei menti nostræ insculptam, sicut imago Principis in nummis exprimitur, et hanc dicimus esse ideam Dei et aliarum rerum. Tertia quia intellectus, qui sit tabula rasa, et nullis instructus cognitionibus, dici propriè non potest, quod habeat signatum super se lumen Divini vultus. Si enim Divini vultus lumen hoc est, ut omnia cognoscat, aliquas saltem cognitiones Metaphysicæ certas debet secum ferre intellectus, ut propriè dicatur signatum esse super illum huiusmodi lumen. Quarta quia si lumen signatum est

super nos; ergò est aliquid super additum intellectui: Dei autem similitudo ad quam homo est conditus, non distinguitur ab eodem homine; ergò non est aliquid super additum ipsi homini, sed ipse homo. Quinta quia nulla efficax ratio affertur in contrarium. Tum accedit, quod sacri Interpretes sæpè in rebus philosophicis Sacras Scripturas explicant iuxtà suam philo=sophiam.

28. Instabis primò ex illo loco Job sequeretur omnes homines dicendos esse sapi=entes, Ergò nimis probat. R. ne: ans: licet enim Deus infuderit cognitio=nes aliquas in animâ nostrâ quæ spectant ad Sapientiam, hæ tamen exci=tari debent studio, et labore et illuminari pro opportunitate Divino lumi=ne, Ut enim inquit S. Aug: epis: 87: aliàs 57: ad Dardanum loquens de parvulis baptizatis — — nesciunt mentem suam, quâ nondum uti pos=sunt: Illa velut quædam scintilla sopita est excitanda ætatis accessu.

29. Instabis secundò. Si loca illa Sacræ Scripturæ intelligenda essent De Ideâ innatâ Dei et aliarum rerum etiam alter locus ad Romanos cap. 2. ubi Apos: docet gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi leges non habentes ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, intelligendus esset de innatis Divinorum præceptorum ideis; sed hoc dici non potest, ergò neque loca a nobis allata sic possunt interpretari. R. primò dis: ma: si adsint eædem ratio=nes con: ma: si non adsint ne: ma: R. secundò con: ma: et ne: mi: Satis probabiliter ex illo loco Apostoli deducitur opinio de ideis innatis Divino=rum præceptorum. Certè Cornelius a Lapide in hunc locum ait in se=creto cordis humani Deus leges incidit digito suo et citat pro suâ sen=tentia S. Joan: Chrys: Theodoretum, Theophilactum, Cyprianum, Augustinum, Sotum, Caietanum, qui docent legem Dei esse interius insculptam in corde nostro. Quin ex illo loco Apostoli novum conficitur

argumentum præcipuum pro ideâ innatâ Dei. Inter Dei leges præcipua est, quod Deus sit colendus. Ergò si leges sunt insitæ cordi nostro, est etiam insita est, Deus est colendus; sed hoc ipso erit impressa in animo idea Dei, quæ in illâ lege continetur. Ergò est impressa in animo hujusmodi idea.

30. Objicies secundò. Textus qui afferuntur ex S. Thoma S. Augustino et Tertulliano non probant dari ideas innatas; Ergò &c. Pro: ant. Nam explicari possunt de rationis lumine nobis indito. R. ne: ant. et probationem. Nescio utrum clarius docere potuerit ideas S. Thomas cum dixit universales conceptiones quarum cognitio nobis est naturaliter insita sunt semina omnium sequentium cognitionum et omnia demonstrantur per sigillationem Divini luminis. Quid enim aliud docuit Cartesius, cum dixit dari in nobis ideas innatas, nisi cognitiones quasdam naturaliter a Deo insitas in creatione animæ ad quas cum respicimus, cætera cognoscimus, et has irradiari Divino lumine? Quod autem S. Thomas primâ parte q: 55. ar: 2. dixerit animas rationales accipere species intelligibiles ex rebus, Angelos autem habere species innatas, facilè explicatur dicendo quod cognitiones illæ naturaliter insitæ non percipiantur nisi prius corporea aliqua imago, vel determinatus motus excitetur et quod occasione tantum phantasmatum a nobis ideæ percipiantur: Quod dici non potest de Angelis.

31. Multo minus interpretari potest de rationis lumine S. Aug. quid enim aliud in sententiâ Platonis inquit hic: loco citato quod non dicat S. Aug: hic inquit Phydiam in faciendâ Jovis aut Minervæ statuâ contemplatum esse eximiam quandam speciem pulchritudinis, quæ in ipsius mente insidebat, et ad illius similitudinem artem et manum direxisse. Hoc ipsum dicit S. Aug: de pulchritudine, cujus nos. habemus leges, ad quas referimus, quæ pulchra sentimus exterius. Ergò si Cicero verè loquitur est in sententiâ Platonis, in eâdem sententiâ loquitur est S. Aug: Idem

dicendum de justitiâ, de cognitione animæ de primis principijs ut legenti constabit. Prætereà fieri potest hæc quæstio reflexa: Multi S. Patres, inter quos S. Aug: ut omnes fatentur secuti sunt Platonem, opinio de ideis certè est sententia Platonis, Ergò S. Patres secuti sunt Platonem in hac sententiâ, sublato errore de creatione æternâ.

32\. Neque minus detorquere vernur Tertullianus, cum ait notitiam Dei, et sui ipsius in animâ doctrinam esse naturæ, et congenitæ, et ingenitæ conscientiæ commissam, et aliqua semina hominem inferre, dum nascitur et aliquibus a Deo dotari animam. Quid enim aliud pro nrâ sententiâ dixisset Plato. Ergo constat, sententiam nostram summâ probabilitate innixam auctoritate Sacræ Scripturæ S. Augustini, Tertulliani, et S. Thomæ.

33\. Objicies tertio, ideæ innatæ admittuntur ut necessariæ ad cognoscendum, sed ad cognoscendum necessariæ non sunt, ergò non debent admitti. Rs. primo ne: ma: non enim admittimus ideas ut necessarias ad cognoscendum, sed ob rationes supra allatas, et ut servemus sensum literalem Sacræ Scripturæ, et S. Aug: addo etiam Platonis, et Cartesij sicut alij rejiciunt sequendo auctoritatem Aris: et Gassendi. Rs. secundò dis: ma: ideæ innatæ admittuntur ut necessariæ ad cognoscendum res materiales, et corporeas ne: ma: ad cognoscendum res purè intelligibiles subdis: necessariæ simpliciter ne: ma: necessariæ nimirum utiles con: ma: et distinctâ eadem modo minori ne: cons: Aliqua dicimus cognoscere seu potius immaginari, et sunt ea, quorum cognitio per sensus habetur ut coloris, saporis, et cæterarum rerum sensibilium: Ad ista cognoscenda non sunt necessariæ ideæ innatæ, et ideò a Cartesio dicuntur ideæ adventitiæ, de quibus habemus sensum intimum, seu conscientiam. Aliqua dicimus purè intelligere, ut veritatem connexionem, justitiam pulchritudinem existentiam animæ, prima principia &c: de quibus nulla sunt per sensus in cerebro impressa

vestigia, nulla phantasmata ad hęc cognoscenda sunt necessarię idęę, quamvis
ut sęppe monui ad has cognitiones excitandas corporea imago requiratur.
Non negaverim tamen explicari posse huiusmodi cognitiones sine ideis, sed
conformius mihi videtur sacrę auctoritati sic explicare.

34. Obijcies quartò. Si aliquę cognitiones essent ideę innatę, omnes nostrę cogni=
tiones deberent esse ideę innatę. Sed hoc dici non potest. ergò nullę cognitio=
nes sunt ideę innatę. Prob: ma: Etiam ideę, quas Cartesius vocat adven=
titias deberent esse ingenitę. Ergò &c. Prob: ant: quia etiam in istis, sicuti
de pulchritudine deberet respicere intellectus noster ad ideam, quam ha=
bet. Resp. nego ma: ad prob: ne: ant: et illud quod additur ad probandum.
Expono igitur quomodò res se habeat in ideis, quę adventitię dicuntur. Quando
aliquod obiectum lucido-coloratum v.g. viride per organum visus nobis ob=
icitur, per oculos imprimuntur vestigia quędam in cerebro de eodem obiecto
et efformatur in illo imago quędam corporea similis obiecto externo. Mens
autem nostra postquam impressa est hęc imago in cerebro per quandam
analogiam ad obiectum externum excitatur ad cognoscendum et affirmandu[m]
obiectum illud oculis propositum esse viride sicut a pueris per sensus didi=
cimus, Et de hoc obiecto dicit Cartesius, nos habere sensum intimum, seu con=
scientiam, non propriè ideam. Contra autem contingit in obiectis, quę non sunt
nec lucido-colorata nec sapida nec sonora nec ullâ sensibili qualitate affe=
cta, cuiusmodi sunt ideę entis in genere, eiusque attributorum, aut modorum,
et prima principia. De his, cum Cartesio dicimus, menti nostrę, esse ingeni=
tas quasdam ideas, ad quas respicimus, cum per sensus exhibetur occasio.

35. Obijcies quintò. Si quis nasceretur omni sensu orbatus pręter tactum, quo for=
san carere non potest, ità ut neque videret neque audiret neque olfaceret,
neque gustaret, is nullis rerum ideis informatus esset. Ergò nullę sunt ideę
menti nostrę congenitę, et innatę. Ad hoc referuntur aliqui casus, qui narran=

ut in Actis Academiae regalis scientiarum semper hominis surdi, et muti a nativitate, qui cum loquelam, et auditum nescio quomodo recuperassent, de pluribus deinde interrogatus nihil aut vix aliquid certum respondit. Rone: universalem sequelam antij. huiusmodi homo certè non haberet sensum intimum seu cōscientiam rerum externarum quia per organa sensus nullus determinatus motus fuisset, nulla vestigia impressa in cerebro: Tamen quoad ea quae purè intellectionis dicuntur, sicuti ut saepe monui ex quodam foedere sancito inter animam, et corpus requiruntur res corporeae, ut sopitae illae cognitiones, quae menti insunt excitentur, ac veluti in memoriam revocentur ita satis sparsas, sed tamen aliquas huiusmodi cognitiones, et ideas se habere adverteret. Nam sicuti iste homo viveret, et nihil menti magis praesto esset, quam ipsa sibi ut inquit S. Aug: lib: 14 de Trin: n: 7. ita se vivere cognosceret, atque adeò haberet ideam vitae, corporis, et extensionis, addo etiam ex conclusione sequenti ideam Dei: Praeterea si ab aliquo vulneraretur, ab alio mederetur de primo conquerendum, posteriori gratiam habendam clarè cognosceret; Ergò aliquas ideas menti congenitas haberet.

36. Ad exempla, quae afferuntur responderi potest, aequaliter in omnibus à auctore naturae Deo infusas esse aliquas cognitiones, sed non aequaliter in omnibus esse disposita organa corporis, per quae excitari debent, unde sicuti pueris ex S. Aug: aliquae cognitiones non videntur esse, quae sunt. Quia ex organorum indispositione sopitae sunt, ita in aliquibus adultis ex diversa constitutione cerebri ex tarditate ingenij sese non explicant nec pandunt cognitiones a Deo infusas. Sic Cic: in primâ quaest: Tusc: postquam docuit ex Natura animae nostrae immortalitatem nos cognoscere, et sentire naturâ duce nullâ ratione, nullâ doctrinâ, et mentibus inhaerere quasi saeculorum augurium quoddam futurorum, concludit: id in maximis ingenijs, altissimisque animis et existere maximè, et apparere facilimè.

37. Obijcies sexto. Vel nomine ideę innatę intelligitur potentia cognoscitiva, vel cognitio vel aliquid aliud: nihil ex his dici potest; Ergò ideę innatę non dantur. Prob: ma: Non potest dici primum, quia dissentiremus Cartesio, quem sequimur in hac quęstione: Non potest dici secundum, quia ideę innatę ex Cartesio sunt clarę, et distinctę: Sed experientiâ constat ea, quę dicuntur percipi per ideas innatas non percipi clarè, et distinctè; Ergò idea non est cognitio certa: Prętereà excitata per rudimenta aut alio modo aliqua idea, nulla nobis de obiecto repręsentato suboriri posset dubitatio, aut formido, aut error. Non potest dici tertium, quia hoc aliquid aliud explicari omninò non potest.

38. Rs. con: ma: et ne: mi: quoad secundam partem, et dico ideas esse cognitiones, cum sint ex l.° Aug: aliquid necessariò adhęrens menti nostrę. Ad prob: con: ma: et ne: mi: cognitiones, quas habemus per ideas innatas omninò certę sunt, nec dubitare possumus, aut formidare, si sermo sit de intellectu non pervicaci. Prima enim principia, cognitio entis in genere, aut illius attributorum, essentię nimirum, existentię, unitatis, veritatis, bonitatis, pulchritudinis &c. et entis in specie Dei nimirum, et creaturę, entis perfecti, et imperfecti, substantię cogitantis, et extensę hęc inquam omnia huiusmodi sunt, ut de ijs dubitare non possimus. Has ideas innatas cum Platone, et Cartesio admittimus; si quę sint alię, de quibus dubitare possimus, vel non admittimus, vel ideò est, quia intellectus necessariam attentionem, et reflexionem supra se ipsum non adhibet. Ideę igitur, quas admittimus, per se clarę sunt, et distinctę, et veritatem nobis exhibent, cum participatio quędam sit Divini luminis; Sed attentione et reflexione indigent. Unde dicemus inferius veritatem non unicè petendam esse ex ideis, ità ut illud verum sit, de quo habemus claram, vel distinctam ideam.

39. Obijcies ultimo. Ideę innatę excitantur ministerio, et occasione sensuum, nimirum posito motu aliquo, seu factâ impressione in cerebro; Sed excitari non possunt hoc modo; Ergò non dantur. Probatur mi: motus illi aut vestigia impressa

in cerebro, et organa sensuum nullam habent cum rebus perceptis similitudinem. Ergò non possunt excitare ideam, aut perceptionem. Confirmatur. Posito hoc motu vel fit aliqua mutatio intrinseca in animâ, vel non: Si nulla fit mutatio, ergò anima perseverat omninò eadem ut erat prius: Si fit aliqua mutatio vel ipsa anima aliquid agit vel solùm recipit, et patitur Divinam irradiationem: Si agit, ergò anima intelligendo agit, quod Cartesius negat: Si non agit ergò intelligere erit pati quod absurdum videtur.

40. Rx. con: ma: et ne: mi: Ad prob: con: ant: et ne: cons: Fateor quidem res corporeas ex occasione motuum qui in cerebro excitantur, ab ipsâ mente percipi: Fateor etiam, motus illos, et vestigia nullam habere cum rebus perceptis similitudinem, quae intellectum moveat ad ideam intellectualem similem producendam. Sed tamen nego, non posse excitari hanc ideam, Quià lex ista ab auctore naturae sanciri potuit inter corpus materiale, et animam spiritualem, ut ex occasione quorundam motuum, qui excitantur in organis sensuum, quaedam animi perceptiones sequantur, et excitentur ideae. Sic respondet Cartesius, et ex illo Edmundus Purchotius par: 2: metaphysicae sectione 3: cap: 4. Nec mirum videtur quod occasione unius rei altera omninò dissimilis excitetur, ut saepè experimur.

41. Ad confir: con: ma: et dico fieri aliquam mutationem in animâ, ac proinde non perseverare omninò eandem. Ad illud quod additur dico primò animam intelligendo aliquid agere, secundò recipere et pati irradiationem Divinam. Hoc secundum certè constat ex S. Aug: qui in epistolâ ad Consentium inquit, nos invisibili mentis intuitione conspicere ipsum lumen, quo cuncta ista cernimus: Quod tam nobis certum est, quam nobis efficit certa, quae secundùm ipsum cernimus. Et epistolâ 85. ipsum lumen, quo cuncta ista discernimus, et in quo satis nobis apparet, quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus, quid imaginemur animus simile corpori, quid certum, et dissi=

mila omnium corporum intellectus noster contemplatur. Hoc ergò lumen ubi hęc cuncta judicantur invisibiliter, inefabiliter, et tamen intelligibiliter lucet, in quibus locis apertè docet animam in cognoscendo lumen Divinum recipere et vis clarè cognoscere in hac luce, qua perfunditur. Cum itaque per sensus aliqua proponantur, intellectus noster Divino perfusus lumine eruit, ac quodammodo refodit illas cognitiones et veritates, quas habebat impressas, sed veluti quędam scintilla sopita latebant, et intellectus sic illuminatus denominatur cognoscens.

42. Quoad primum Cartesius docet, nullum esse in nobis intellectum agentem, sed solum intellectum Divinum agere et intellectum creatum purè recipere, et pati cognitiones et lumen. Sed puto separari posse illa duo, quę docent nimirum et dari ideas innatas, et intellectum in iis nihil agere. In primo cum Cartesio convenimus, in secundo omninò dissentimus.

Articulus quartus.

Statuitur secunda conclusio.

43. Sit ergò secunda conclusio. Intellectus intelligendo aliquid vitaliter agit. Intellectus dicitur agens, quatenus producit cognitiones suas, et dicitur patiens sive possibilis, aut passibilis quatenus easdem cognitiones purè recipit. Quęstio est contra Cartesium an intellectus producat cognitiones, an solum recipiat cognitiones ab agente extrinseco immissas. Ubi notandum est illud solum. Nemo enim negat intellectum pati et recipere cognitiones, nam ubi datur actio datur etiam eius terminus, qui dicitur passio, sed quęritur utrum solum patiatur, et recipiat an vero simul agat, et suas cognitiones producat.

44. Prob: conclusio. Ut intellectus intelligat, requiritur ꝓ Cartesium attentio, et reflexio supra se ipsum; Sed ista attentio est aliqua actio intellectus; Ergò intellectus intelligendo aliquid agit. Prob: mi: Illa attentio neque est ipse intellectus, neque actus voluntatis imperans attentionem; Ergò est actus intel=

lectus. Prob: ant. quoad primam partem. Si esset intellectus ipse quotiescumque daretur intellectus daretur illa attentio. Sed non datur, Ergò &c. Prob: quoad secundam partem, imperium voluntatis est causa attentionis, non ipsa attentio, et requiritur ut determinativum intellectus ad attendendum, non ut ipsa formalis attentio: Prœterea intellectus intelligit attentionem, quæ sua est, et imperium illud non est intellectus, sed voluntatis; Ergò non est actus voluntatis imperans attentionem.

45. Prob. secundò ex ipso Cartesio, qui sæpius cognitioni nostræ tribuit nomen actionis. Sic in responsionibus ad Gassendum inquit: Cognitio tum pro re cogitante, tum pro istius rei actione sumi potest: Et primâ parte principiorum paragrapho 32. Cognitionis vox indiscriminatim pro omni animæ operatione accipitur, Ergò ex Cartesium intellectus dum cognoscit agit, et operatur.

46. Prob: tertiò a pari. Voluntas volendo agit, ergò intellectus intelligendo agit. Ant: prob: ex Concilio Tridentino sessione 6: Canone 4: Si quis dixerit liberum hominis arbitrium [quod est voluntas] a Deo motum, et excitatum nihil cooperari nihil omninò agere mereque passivè se habere anathema sit. Ergò voluntas volendo agit. Prob: cons. et paritas. Ideò voluntas volendo debet aliquid agere, quia aliter non posset intelligi, quid Deus nobis imperaret, cum imperat aliquem actum voluntatis; Sed Deus imperat plurimos actus intellectus e.g. fidei; Ergò si voluntas volendo agit, etiam intellectus intelligendo agit. Respondent adversarii, Deum nobis imperare voluntatem credendi. Sed contra est, Deus enim non solum imperat voluntatem credendi, sed ipsum actum fidei et vult nos captivare intellectum in obsequium illius.

47. Objicies primò: Nos, qui cum Cartesio ideas innatas admittimus, et concedimus infusas esse in animâ plures cognitiones, quæ accedente ministerio sensuum excitantur, et illuminantur a Deo, concedere cogimur, has ideas, et illumina=

tionem intellectum nostrum purè recipere; Ergò cum intelligimus, intellectus noster nihil agit, sed purè patitur. Rs. dis: ant. concedere cogimur, hus ideas et illuminationem purè recipere, et simul aliquid illis cooperari con: ant. et nihil illis cooperari neg: ant. et cons: Cartesius totum concedit in hac obiectione nullam enim admittit intellectum agentem, sed mihi videntur sustineri posse ideæ innatæ, et simul intellectum agere.

48. Explico distinc: Cum Deus Divinâ suâ irradiatione illustrat cognitiones illas, quas animæ nostræ infudit, intellectus ipse huic lumini physicè cooperatur et eruit etiam ipse illas cognitiones, quæ velut scintillæ latebant. Affero plura exempla: Primo S. Patres cum loquuntur de sanctis inspirationibus, quas Deus immittit ut nos excitet ad benè operandum, dicunt illas fieri <u>in nobis sine no=bis</u>: Quæ locutiones Sanctorum Patrum explicantur a Theologis, fieri in nobis sine nobis moraliter, et effectivè concurrentibus, non tamen explicantur fieri in nobis sine nobis physicè concurrentibus; Ergò sicut intellectus noster physicè con=currit ad sanctas inspirationes, quas recipit a Deo et illas vitaliter agit. Ità physicè concurrere dico intellectum ad illam Divinam irradiationem, quâ co=gnitiones insitæ excitantur, et illas vitaliter agere. Secundo intellectus bea=tificus, qui indiget lumine supernaturali gloriæ ad videndum Deum ut docet Concilium Viennense in Clementinâ <u>ad nostrum</u> de hæreticis, verè agit, dum cognoscit Deum intuitivè, quia docent Theologi hoc lumen gloriæ requiri per modum comprincipii activi et productivi per quod intellectus elevatur ad videndũ Deũ. Ergò si intellectus, dum recipit lumen gloriæ verè agit, verè agere etiam dicatur cum recipit Divinum lumen, quod ideæ, et cognitiones insitæ exci=tantur.

49. Instabis primo ergò intellectus physicè tantum dicatur agere, cum recipit Di=vinam illuminationem, et res cognoscit. Rs. primo hoc quidem sufficere, ut intellectus denominetur agens. Deinde neg: cons: Cum enim ideæ excitantur

occasione sanguinum anima nostra liberè ponit saltem ipsa conditionem illam ~~ff~~ quam iuxta legem a Deo sancitam ideæ excitantur. Quis autem liberè ponit conditionem aliquam quamvis extrinsecè connexam cum conditionato, dicitur liberè ponere conditionatum ipsum. Demum dico, non omnes ideas me admittere: Itaque licet in aliquibus cognitionibus intellectus nihil ageret, quia innatæ essent, et illuminarentur a Deo, tamen in pluribus alijs, quæ infusæ non sunt, verè ageret, quod sufficeret ad asserendum, intellectum agere in cognoscendo.

50. Instabis secundò. Illæ Sanctæ illustrationes non erant prius in intellectu nostro: Ideæ autem cum illuminantur a Deo, sunt ab ipsâ creatione animæ in ipso intellectu. Ergo exemplum petitum a Sanctis illustrationibus non valet. Rs. con: ant. et ne: cons: licet Sanctæ illustrationes non fuerint, et ideæ innatæ præstiterint tamen ex illo exemplo infertur, quod quantum est ex conceptu Divinæ illuminationis intellectus potest recipere illuminationem, et adhuc denominari agens.

51. Quæres si intellectus intelligendo agit, unde educit cognitiones suas? Rs. educere ex potentia animæ, quæ se habet ~~tanquam~~ subiectum præsuppositum, et materia, per analogiam quandam et similitudinem ad materiam primam, ut dicemus suo loco, quatenus ab animâ cognitio educitur et in illâ recipitur.

Articulus quintus.

An detur idea innata Dei.

52. Inter ideas, quas diximus esse menti nostræ congenitas, principem locum obtinet idea entis summè perfecti sive Dei, Reflectendo enim intra ~~nos~~ metipsos experimur nos intimè conscios esse quod adsit huiusmodi idea in mente nostrâ. Sic Cartesius et ex ipso author libri qui inscribitur specimen artis ratiocinandi capp: 4. et hanc dedit ideam, seu imaginem impressam esse in nobis docet, cum homo ad imaginem Dei factus est. Atque ita hæc idea menti nostræ ~~ff~~ æterna veritatem insculpta Deum repræsentat, ut dubitare nunquam possimus de ipsius existentiâ, quoties ad illam attendimus; Omnis enim imago summa

exemplar referre debet.

53. Porrò omnes Theologi et philosophi conveniunt evidentissimum esse Deum existere ità ut S. Aug: libro 7. confessionum cap: 10. dixerit facilius dubitarem vivere me, quam non esse veritatem. Et existentiam Dei demonstrant demonstrationes morales, et physicae, quae dicuntur demonstrationes a posteriori quià ab effectu ad causam eamque primam progrediuntur. Quaeritur modò utrum sine ulla demonstratione a posteriori tantùm per ideam seu imaginem Dei mentibus nostris insculptam demonstrari possit existentia Dei.

54. Est nostra conclusio. Datur in nobis idea innata et ingenita Dei in hac conclusione nobiscum convenit dignitate non minus quam scientia ~~[illegible]~~ Eminentissimus Cardinalis Ptolemaeus dissertatione 2. Theologiae naturalis sec: 5. dum docet per principia et cognitiones ingenitas demonstrari metaphysice existentiam Dei, et praeterea hoc demonstrationis genus summo loco habitum esse ab antiquis philosophis et sanctis Patribus, quamvis multi subtilitate Peripateticâ forte nimia convellere conentur. Antequam conclusionem demonstrem primo postulo intellectum non quiescentem non mentientem non distractum non depravatum considerationibus rerum corporearum, quae obscurant lumen illud, quod signatum est super nos. Secundo moneo, quod non ipsum ego sum, qui putem hanc ideam rationibus evidentibus posse demonstrari, sicuti rationes huiusmodi non afferunt adversarii, cum eam negant; tantum contendo hanc fuisse mentem plurimorum philosophorum, et Sanctorum Patrum, quod mihi sufficit ad hanc ideam statuendam. Tertio textus quos affero moneo mihi non vacasse ut me videre, sed hausisse ex Cardi: Ptolemaeo lo: cit:

55. Probo igitur conclusionem. Si cognitio Dei infusa est, et insculpta menti nostrae, datur idea innata Dei; Sed infusa est menti nostrae; Ergo datur. Mai: patet, quià hoc intelligimus nomine ideae innatae nempe cognitionem a Deo impressam in ipsâ creatione, et independentem omninò a sensibus.

Prob: mi: ex auctoritate primo Sanctorum Patrum. S. Clemens Alex: in ad=monitione ad gentes sic habet: Omnibus simpliciter hominibus maxime autem iis qui versantur in doctrinâ et literis, instillatus est quidam Divinus influxus, unde vel inviti fatentur unum esse Deum. Origenes lib: 1: et 4. contra Celsum: dicendum est insitum esse hominibus sensum Dei, quemadmodum moralis disciplinę reliquię, nimirum bonum est faciendum. Eusebius lib: 2. pręparationis Evangelicę eximium illud et salutare quod Dei nomen significat, ipsius naturę ducem et rationibus ultrò innatis [notentur hęc verba] vel potius a Deo inspiratis nemo non intelligit cum id omni animo intelligentiâ prędito omnium conditor inseverit. Tertullianus lib: de testimonio animę. Novum testimonium advoco [nimirum ad probandum Deum esse] consiste in medio anima: Sed non eam te advoco quę scholis formata et Bibliothecis exercitata: Te simplicem, rudem qualem habent, qui te solam habent: En parvulo, quę venum in hominem infers: Hęc testimonia animę quanto communia tanto naturalia, quanto naturalia tanto Divina. S. Gregorius Nissenus oratione 6: de Beatitu: quantus capi potest a te Divinitatis notus, in te est quippe is qui te formavit, talem bonum statim tuę naturę quasi inessentiabit. S. Cyrillus Alexan: unicuique animę in ortum adventę cognitionis Divinę semen indidit, et intelligentię radicem inseruit, atque ità rationale animal efficit naturę suę participem reddens. S. Bernardus lib: 1: de consid: cap: 1: Sublimior ille usus pręsentium rerum cum juxta sapientiam Pauli invisibilia Dei per ea quę facta sunt intelliguntur. At sanè hac scala cives non egent sed exules: Optimum videndi genus, si nullius egueris ad omne quod videre libuerit te contentus: Ubi notandum est, S. Bernardum per exules intelligere homines rebus terrenis addictos, et cum dicit te contentus intelligit de evidentiâ, quam per cognitionem ingenitam habemus. Demum S. Aug: lib: 8. de Trin: cap: 3: Quid imus.

et currimus in sublimia cælorum et ima terrarum quærentes Deum, qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum: Potes habere Deum, quam fratrem plane notiorem, quia præsentiorem, quia interiorem, quia certiorem. Ergo ex Sanctis Patribus satis constat in nobis insitam esse cognitionem Dei nec creaturis indigere ut demonstremus.

56. Venio deinde ad philosophos: Plato lib: 1. de legibus, quando Deum esse asseris, cognitio quædam fere Divina hoc est divinitus ingenita menti nostræ ad affirmandum te ducit. Marsilius Ficinus Theologiæ Platonicæ lib: 12. cap: 7. ipsum esse absolutum quod est Deus, primum est quod mentibus nostro quodam pacto se offert, quod illabitur, quod affulget, quod cætera omnia patefacit. Proclus Theo: Pla: lib: 1: cap: 3. et 4. Omnibus ille rerum auctor effectæ suæ excellentiæ signa inspersit, et omnibus ineffabiliter adest ex universis exemplis, itaque homo in suæ naturæ arcanum ingrediens invenit symbolum illius omnium patris. Iamblicus de misterijs Sec: 1: cap: 3. Coæquat nostræ substantiæ de Deo innata notitia, quæ et judicio omni et consilio melior, nec non ratione et demonstratione prior: Ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Dei cognitio. Cic: lib: 2. de naturâ Deorum, quæ est enim gens, aut quod genus hominum quod non habeat sine doctrinâ anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus idest anteceptam animi quandam informationem, ergo etiam ex philosophis constat cognitionem Dei insitam esse in nobis et sine doctrinâ nos habere.

57. Prob: tertio ex ijsdem Sacræ Scripturæ locis, quibus probavimus alias ideas; Si enim signatum est super nos lumen Divini vultus, si posuit Deus in visceribus hominis sapientiam, hoc primum lumen hanc primam sapientiam posuisse credendum est, ut illum cognosceremus præsertim cum Iob cap: 36. dicatur omnes homines vident Deum.

58. Prob: quarto ex confessione totius humani generis ut probat Card: Polę:

Excurrendo enim per totam historiam, et populos omnes cultum, et civitatem habentes memoriâ repetendo nusquam vel apud nefarissimos mortalium receptus unquam fuit auctoritate publicâ, aut toleratus ille qui Deum negaret, quin ab ipsis quoque idololatris semper inquisiti sunt rei huiusmodi denuntii et severissimè damnati. Ergò omnes homines putarunt cognitionem Dei ingenitam esse humanis mentibus. Ergò de Deo ideam innatam habemus. Ut enim inquit Cic: lib: 1: de legibus, nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.

Articulus sextus.

Respondemus obiectionibus.

59. Obiicies primo contra auctoritates allatas, et primò Platonicorum auctoritas afferri non potest, Plures enim Philosophi hoc negarunt, et de ipso Cicerone putant aliqui non ex mente suâ sed ex aliorum sententiâ illa dixisse. Deinde S. Patres ad summum videntur dicere notitiam Dei esse per se et ex terminis notam non autem dicere nos habere ingenitam ideam Dei quae duo sunt valdè diversa et explicari possunt, insitum nobis naturaliter esse rationis lumen, cuius beneficio in rebus creatis, et in nobis ipsis tanquam in speculo Deum intuemur vel Dei notitiam simul cum lacte a parentibus hausisse, ex quo fit inquit S. Thomas ut ea quibus a pueritiâ animus imbuitur, ità firmiter teneantur ac si essent naturaliter et per se; Ergò neque ex philosophis neque ex S. Patribus probare possumus hanc ideam.

60. Rx. ad primum con: alios philosophos aliter docuisse, Sed in hac quaestione cum Cardi: Polo: sequimur Platonicos, quos cum nomine inquit S. Aug: lib: 7. 8. 10. de Civi: Dei meritò caeteris anteponimus, prae caeteris enim rectissimè de Divinis senserunt. Ad secundum si S. Patres, ut legenti pate=

bit doctrina notitiam Dei esse insitam menti nostræ, nec necessario doctrina aut sensibus hauriri, sequitur quod insita sit hæc veritas Deus existit. Si autem hæc veritas est ingenita, eius obiectum et imago quædam illud referens est in mente impressa, quam ideam Dei dicimus. Quod autem S. Patres explicari possint alio modo dici quidem potest, sed verborum sensus hanc explicationem non patitur, Non enim de potentia cognoscendi nobis insita loquuntur, quæ est lumen rationis, sed de ipsa cognitione Dei.

62. Obiicies secundo. Mens Sanctorum Patrum erat homines inducere ad cognitionem Dei certam et evidentem; sed dicere cognitionem Dei ingenitam esse non inducebat ad cognitionem Dei certam et evidentem; Ergo vel S. Patres non usi sunt optimo argumento ad convincendos Atheos vel non docuerunt ideam innatam Dei. Rs. con: ma: et mi: cum S. Thoma et ne: cons. Quamvis non sit optimum argumentum ad convincendos homines idea innata Dei, et præmitti debeat demonstratio a posteriori et per creaturas Deum agnoscamus, quod est illa scala, quâ egent exules iuxta S. Bernar: tamen utilis est illa demonstratio, et recursus ille ad ideam innatam, Inservit enim ut homines ipsi se convincant, postquam cum pacato animo et tranquillo supra se ipsos, et supra cogitationes suas reflectunt, præsertim cum S. Patres afferant testimonia philosophorum, qui id docuerunt. Hanc responsionem Cardinalis Tolet: confirmat exemplo præceptorum moralium, quæ licet evidentia sit lumine naturæ, suadentur tamen per alias rationes.

62. Obiicies tertio. Deus cognoscitur per creaturas, ergo cognitio Dei non est innata, sed acquisita. Ans. constat ex cap: 23. Sapientiæ: A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri: Ad Romanos 1. Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: Psalmo 28. Cæli enarrant gloriam Dei &c. Rs. con: ans. et ne: cons: Plures modi sunt per quos in Dei cognitionem venimus, primus per eius opera,

secundus per ideam nobis impressam, tertius per revelationem, quartus per hoc, quod per illud attribuuntur. Abundavit etiam Cartesius, et hi modi se invicem non excludunt.

63. Obijcies quarto: Si Dei idea nobis esset innata, esset clara, et distincta; sed nullam habemus Dei ideam claram et distinctam. Ergo non est innata. Ma: constat ex sententia Cartesij, qui docet omnes ideas esse claras, et distinctas. Mi: probatur ex Apostolo prima ad Corinthios cap: 13. Videmus nunc per speculum, et in aenigmate. Sed eorum quae videntur per speculum et in aenigmate non habemus claram, et distinctam ideam; Ergo &c. Rn. primo retorqueo argumentum. Si cognosceremus Deum per demonstrationem ex creaturis clare cognosceremus; sed ex Apostolo in hac vita clare Deum non cognoscimus; Ergo non cognoscimus per demonstrationem ex creaturis. Adversarij certe negant cons: Et dicunt ex creaturis clare nos et distincte cognoscere Deum necessario existere et esse summe perfectum: Hoc idem dicimus de idea quam innatam habemus. Rn. secundo in forma dist: ma: Esset clara et distincta quoad existentiam necessariam Dei con: ma: quoad explicanda omnia attributa Dei n: ma: et distincta eodem modo minori ne: cons: Quod nobis clare repraesentat idea Dei est idem existere et esse summe perfectum: Attributum vero in particulari et relationes haec idea nobis non repraesentat sicuti non repraesentat demonstratio quaecumque afferatur. Nam ea cognoscimus solum ex fide divina. Apostolus in eo loco docet nos in hac vita intuitive et facie ad faciem non videre Deum, caeterum ex eo loco non colligitur nos nullam habere claram Dei cognitionem.

64. Instabis: Ex Apostolo accedentem ad Deum oportet credere, quia est; Ergo existentia Dei est actus Fidei, sed Fides ex eodem Apostolo est argumentum non apparentium, scilicet in ijs versatur, quae clare

non videntur; Ergò nec cognitio de Dei existentiâ est clara. Rp: primo retorquendo argumentum ex demonstratione, si enim non obstante demonstratione possumus Dei existentiam credere actu Fidei poterimus eodem actu illam credere quamvis per ideam innatam claré, et distincte se nobis exhibeat. Rp. secundo ne: ultimam cons: eidem veritati possumus assentiri ex duplici motivo: Quatenus illi assentimur per principia demonstrativa, erit scientia: Quatenus illi assentimur ex auctoritate alterius loquentis erit fides, quod communiter docetur ab iis, qui negant scientiam, fidem et opinionem posse componi in eodem intellectu. Sic huic veritati Deus est, si assentiamur per ideam innatam, erit cognitio clara et distincta, quæ ad scientiam revocatur, si assentiamur ex motivo Divinæ auctoritatis id revelantis, erit fides.

65. Populi aliqui præsertim in extremâ Americâ ferarum vita degentes in silvis nullam Dei notitiam et cultum habent. Deinde Thibetani acutissimo ingenio et moribus honestissimis, atque in litteris satis exculti negant Deum existere et Atheismum profitentur; Ergò Dei idea non datur in omnibus, adeoque in nullis, ergò non est innata. Rp. ad primum cum Pardi: Phil: relationes istas non esse fide dignissimas, deinde ex eorum summâ ignorantiâ et ex animo obstinato pravisque cupiditatibus obcæcato non debilitari conclusionem nostram; Ex vitiis enim maximè obscuratur lumen illud signatum super nos. Demum sicuti eorum ignorantia ex Apos: non est invincibilis quoad plurima pertinentia ad legem naturalem, ità non est invincibilis quoad cognitionem Dei, si enim pacato animo vocem naturæ attenderent, et supra se ipsos reflecterent hanc cognitionem sibi innatam certò scirent.

66. Rp. ad secundum Thibetanorum religio, ut dicitur in historiâ manuscriptâ P. Hippoliti Desideri, qui diù versatus est in illis regionibus, est mons=

rum quoddam praecipuè conflatum ex Sectâ Epicureâ negante Deum
existere, ex Pythagoricâ admittente transmigrationem animarum. ex
Stoicâ tribuente ossibus naturalibus efficaciam intrinsecam causandi prę=
mium et pęnam. ex Manichęâ statuente duo rerum principia alte=
rum bonum physicè causativum rerum bonarum alterum malum phy=
sicè inductivum rerum malarum, et ex Sectâ Platonis et Aristis: propu=
gnante mundum ab ęterno. Docent tamen existere obiectum quoddam
refugii et invocationis cui tribuunt infinitam scientiam potentiam
bonitatem, quo indigent omnes animę; sed tale obiectum ab ęterno exis=
tens distinguitur ab omnibus creaturis, ut per se patet. Ergò est Deus quem
quęrimus; Quare Thibetani etiam volentes fatentur exercitè se diver=
tè Deum, quem reflexè et signatè negant non quidem animo sincero
ac docili sed obstinato et refractario. Hinc in psalmo dicitur dixit insipi=
ens in corde suo non est Deus, dixit enim corde non mente, quià non
ex sincera persuasione intellectus, sed ex malitiâ et pervicaciâ voluntatis.
Nemo enim sanę mentis delere potest sensum illum Dei, quem ipse
nobis impressit, sed sicut illum vel parvum vindicem agnoscunt ità men=
tem ab eâ vellent avertere et quasi suparent ipsum, non esse, ut libe=
rius vivant. Ideò in psalmo dicitur mentita est iniquitas sibi.

64. Obiicies sexto. Hęc idea Dei vel semper menti nostrę insidet vel certis tem=
poribus a Deo infunditur; Neutrum dici potest; Ergò non datur. R. re:
mi: dici potest quod semper menti nostrę insideat, Neque inde sequitur
quod Deum perpetuò cognoscamus, etiam cum dormimus; Illa
enim cognitio quam de Deo habemus, est veluti quędam scintilla sopi=
ta, quę excitari debet occasione aliquâ extrinsecâ: Hinc intellectus non
dicitur actu cognoscens Deum, nisi circa cognitionem illam aliquo modo
afficiatur, quod patet exemplo aliarum cognitionum, quarum vesti=

gia certè in nobis sunt, quæ nisi aliquâ occasione excitentur, non dicimur actu cognoscere.

68. Obijcies septimo. Hæc idea neque esset per species Dei proprias, neque alienas; ergo nulla esset. R. con: ant. et ne: cons: species propriæ, vel alienæ requiruntur ad ideam producendam, non verò ad ideam solum receptam, et non productam ab intellectu nostro.

69. Quæres, utrum positâ ideâ innatâ Dei quam defendimus, dicenda sit nota ex terminis, et per se hæc veritas Deus existit. R. Illa veritas obiectiva dicitur ex terminis nota, cuius species est adeò clara, ut per se solam rapiat intellectum penetrantem terminos ad assensum excludendo omnem formidinem de opposito, ut contingit in primis principijs. Iam verò Cartesius, qui putat veritatem desumendam esse ex eo, de quo nos habemus ideam claram, et distinctam, concedit notam esse ex terminis hanc veritatem Deus existit, quia scimus hanc ideam nobis intimè adesse quod quilibet experiri potest, si supra se ipsum reflectat adeòque est clara: Præterea vidimus hanc ideam nobis exhibere Deum tanquam ens summè perfectum, quod hæc idea satis a reliquis ideis distinguitur, atque adeò est distincta. Ego tamen putarem ex ideâ Dei non sequi notam esse ex terminis hanc veritatem Deus existit, saltem quoad omnes homines, ut inquit Cardi: Ptolę: quia licet clara sit et distincta, nobisque certò ostendat Dei existentiam, suscipere potest maiorem claritatem ex demonstrationibus physicis, et moralibus, quibus intellectus certior fiat sibi intimè adesse hanc ideam et falli non posse. Non enim veritas, ut infra dicemus, unicè desumenda est ex ideis, sed etiam ex ratione, et auctoritate.

Articulus sextus.

Reiiciuntur ideę adventitię, et factitię.

70. Admisimus cum Cartesio ideas innatas, et pręsertim ideam Dei: Quęritur utrum admittendę sint illę ideę, quas vocat adventitias, et factitias, quas jam explicavimus. Cartesius sicuti excludit omnem cognitionem de novo, et docet omnia nos cognoscere per ideas. ità vult omnes cognitiones omnium rerum infusas esse, et ingenitas. Nos sicuti plures cognitiones de novo admittimus, et negamus omnia cognosci per ideas, ità reiicimus ideas adventitias, et factitias, et putamus, illas pręsertim intellectum sibi de novo comparare.

71. Sit nostra conclusio.

Non dantur ideę ~~factitię~~ adventitię et factitię.

Probatur quoad primam partem. Ideę adventitię sunt illę quas habemus de rebus, et qualitatibus purè sensibilibus coloris nempè, soni, odoris, saporis, quę excitantur occasione motuum externorum in cerebro, et organis sensuum; Sed istę ideę non imprimuntur a Deo in animâ, sed unicè producuntur ab intellectu; Ergò non sunt ingenitę huiusmodi ideę, sed unicè comparantur de novo. Ma: est doctrina Cartesii. Prob: mi: Intellectus est potentia sibi omninò sufficiens ad productionem huiusmodi idearum, ergo non necessariò ad Deum recurritur cum intellectus sit potentia maximè activa.

72. Probatur secundò. Circa huiusmodi ideas uti non possumus auctoritate Sacrę Scripturę, Sanctorum Patrum, et philosophorum, qui docent eas cognitiones tantum esse ingenitas, quę versantur circa res purè intelligibiles, et quę non pendent a sensibus; Sed qualitates purè sensibiles a sensibus hauriuntur; Ergò cognitiones harum rerum non sunt ingenitę, sed omninò de novo productę ab intellectu.

73. Probatur conclusio quoad secundam partem. Ideę factitię sunt illę, quę

componuntur ex ideis, quibus mens jam est informata, et ad has ideas facien=
das determinatur intellectus vel per actionem voluntatis, vel per motionem
spirituum animalium; sed hujusmodi ideæ unicè producuntur ab intellectu;
Ergò non sunt ingenitæ. Ma: est doctrina Cartesii, et explicatur exemplo.
Sit enim in intellectu idea innata montis, seu extensionis, et voluntas deinde
imperio suo determinet motum spirituum animalium, quo excitetur sensa=
tio intima coloris flavi, seu auri: Ex istâ conjunctione duarum idearum ex=
tensionis, et sensationis coloris flavi dicit Cartesius oriri ideam montis aurei
quam factitiam appellat. Prob: itaque minor. Intellectus ipse sibi format
novam speciem, seu imaginem earum rerum, quæ distinctæ erant; Ergò
hujusmodi cognitiones unicè producuntur ab intellectu, et sibi de novo comparat.
Accedit, quod gratis omninò asseritur, posse voluntatem determinare motum
spirituum animalium, nisi præcedat externa sensatio; Ergò etiam ex isto ca=
pite ideæ factitiæ non dantur.

74. Nos admittimus ideas innatas; Ergò debemus admittere etiam adventitias, et fac=
titias. Prob: cons: sicuti ideæ innatæ sunt cognitiones infusæ, et species, aut im=
agines rerum animæ nostræ insitæ, quæ ministerio aut occasione sensuum, exci=
tantur, et illuminantur a Deo per eandem legem sancitam corpus inter, et
animam; ita ideæ adventitiæ possunt esse similes species, et imagines rerum
nobis impressæ, quæ ministerio sensuum et per motum aliquem determina=
tum excitantur, et illuminantur; Ergò si admittimus priores, debemus alte=
ras admittere, cum in utrisque æqualis ratio esse videatur. R. con: ant. et
ne: cons: ad prob: hæc est disparitas, ideò admittimus ideas innatas, quia ver=
santur circa res purè intelligibiles, quæ vel non necessariò acquiruntur per sensus,
vel nullo modo; aliæ autem ideæ versantur circa res sensibiles, quas intellectus per
sensus sibi comparare potest, et de facto per sensus illi innotescunt. Accedit, quod
intellectus aliquas cognitiones de novo producere debet, cum sit potentia ma=

xime activa quod si per se solum non produceret eas cognitiones, de quibus habet ideas innatas, saltem per se solum producere debet cognitiones aliarum rerum.

75. Obijcies secundo. Infantes ab ipsa nativitate multa desiderant quæ nunquam per sensus externos perceperunt; Quærunt enim lac, obiecta sibi noxia v.g. feras fugiunt dolorem famem experiuntur; Ergò de rebus huiusmodi sensibilibus ideas habent. Rº. neg: ant: infantes ea sola suo modo desiderant quæ in utero matris sibi utilia sunt experti, accedente verò paulatim aliorum obiectorum usu, et experientiâ sensuum sicuti illa cognoscunt per species desumptas a sensibus, ità illa vel optant vel aversantur prout sibi noxia vel utilia perceperunt. Hinc infantuli recens nati neque cognoscunt, neque desiderant lac, aut alium cibum quamvis sibi necessarium, quem in utero matris non gustarunt donec a nutricibus primò tribuatur. Hanc parvulorum ignorantiam quam ne in brutis quidem cernimus deflet tanquam pœnam peccati originalis S. Aug: lib: 2: de peccatorum meritis cap: 38:

76. Quod dicitur de iisdem infantulis, quod feras fugiunt, et alia ut sibi noxia. Rº. hoc Divino consilio factum esse, ut vita puerorum servaretur, Illa enim obiecta cum primo videntur a pueris, ità per oculos eorum phantasiam turbant et interna organa movent ut pueri sic naturaliter affecti illa adversentur, quamvis nihil de suo periculo cogitent. Sic cibus aliquis vix gustatus, stomachum perturbat et odores aliqui caput lædunt, quia sensibiliter offendunt organa. Sic lux quia mulcet afficit oculos, libenter conspicitur a pueris.

77. Demum dolor et fames aliaque id genus non sunt cognitiones, sed affectiones quædam vitales organorum, quæ immitentes speciem sui in cerebrum determinant animam non distractam ad efformandam cognitionem

illius sensationis dixi non distractum, quia saepe fit ut aliqua causa doloris in nostris sensibus oriatur quin intellectus aliis rebus occupatus advertat. Dolor itaque est passio quaedam et sensatio quae causatur ab obiectis sensibilibus, quae offendunt organa sensuum. Per frigus enim &c. contrahuntur nervi, torpescit sanguis, et concrescit humor, qui est intra cutem, quae cum fiunt in nobis, dolorem experimur, quem dicimus frigus. Fames etiam est passio quaedam et sensatio, quae causatur a calore naturali, et maximè activo, qui est intra stomachum. Si enim calor hic naturalis nihil habeat sui subiecti, quod consumat, nempè cibum exercet vim suam in partes vitales, atque inde fit ut si diù nihil comedamus viscera ipsa corrodi et comburi videantur. Ut ergò reparemus quidquid calor naturalis absumit et quidquid per transpirationem deperdimus, frequenti cibo indigemus: Et quò maior est calor naturalis, ut in pueris et adolescentibus, eo maiori cibo uti debent. Cum itaque puerorum nervi sint maximè molles, et delicati, ut ex lacrimis quas statim emittunt conspicitur, hinc sensationem frigoris maximè experiuntur: Et cum etiam pueris insit calor naturalis, et aliquam per transpirationem deperdant, hinc si diù non ministretur cibus, corrodi sibi sentiunt viscera, et passionem illam experiuntur, quam famem dicimus. Eae autem passiones habentur a pueris et ab omnibus dependenter a sensibus, et nullâ indigent cognitione infusâ, ut eas cognoscant.

78.

Absolutâ disputatione de ideis breviter in compendium redigo quid sentiam, et in quo sequar Cartesium. Primò dico dari ideas innatas, ità ut aliqua cognoscamus per huiusmodi ideas, non verò omnia: Quae autem cognoscimus per ideas sunt res purè intelligibiles v.g. Deus, sapientia, justitia, pulchritudo, vita, existentia, prima principia &c. Secundò dico non omnes res intelligibiles a nobis cognosci per ideas; Incredibile enim

videtur quod omnes omnino impressae sint. Tertio dico res corporeas, et sensibiles nullo modo cognoscere per ideas, sed intellectum sibi de novo comparare harum verum cognitionem. Hinc rejicio ideas adventitias, et factitias. Quamvis ergo Cartesius dicat omnia nos cognoscere per ideas, et nullam cognitionem ~~[illegible]~~ de novo produci ab intellectu, in hoc non sequor; contentus enim sum, quod de aliquibus tantum rebus ideas habeamus, quod sufficit ut posuisse dicatur Deus in visceribus hominum sapientiam, et nobis inesse semina quaedam omnisque sequentium cognitionum.

79. Circa originem nostrarum cognitionum docet Cartesius haberi per motum determinatum impressum in organis sensuum, et communicatum cerebro, unde dividuntur nervi, de quo motu determinato cum conscia sit anima excitatur in ea cognitio coloris v.g. potius albi, quam nigri. In hoc illum non sequor, sed dico cum communiori sententia res omnes corporeas immittere species sui per organa sensuum in phantasiam quae dicuntur species impressae: et anima dum se ad has species, et phantasmata convertit determinatur ad easdem res spiritualiter cognoscendas.

80. Quemadmodum vero res intelligibiles, et spirituales nullam speciem sui possunt in sensus, et in cerebrum immittere, sic dico harum rerum cognitionem non a sensibus oriri, sed innatam nobis esse, et a Deo in nobis productam, quamvis non omnium cognitionum. Quia sufficit, ut intellectus habeat semina quaedam, per quae caeteras cognitiones rerum spiritualium possit studio et labore comparare. Si autem in rebus intelligibilibus explicandis utimur formis corporeis, nobis ipsi certe cognoscimus aliter in nostra mente ideas se habere, nec explicare posse.

Disputatio secunda.

Utrum omnis cognitio pendeat a sensibus.

Articulus primus.

De sensibus externis.

1. Saepe diximus in superioribus, plures cognitiones a sensibus non pendere, et hinc admisimus ideas innatas: Diligentius modò hoc ipsum inquirendum est. Ac primò quidem sensus externos accuratè placet describere. Tactus per totum ferè corpus diffunditur, et eius organum est plexus quidam, seu filamenta tenuissima fibrarum nervearum, quae per totum corpus extenduntur, et usque ad cutim pertingunt. Affero ex Malpighidio texturam manus, in quâ absolutissimum organum tactus habemus. Manus itaque contexitur plexu retiformi nerveo, qui admiscentur arteriolis, venulis, vasis lymphaticis, et glandulis [quas miliares vocat Steno] ex quibus glandulis per vasa lymphatica defluit humor, qui deinde egreditur per minutissima osciola, seu poros cutim terebrantes, et glandulis superimpositos. Super plexum idem retiformem componentem cutim attolluntur fasciculi fibrarum, quas papillas nerveas Malpighius vocat, et sunt propriissimum organum tactus, sicut similes in linguâ componunt organum gustus. Per diversam affectionem in fibris nerveis experimur corpora esse quae tangimus, vel mollia, vel dura, vel frigida, vel calida, vel aliis qualitatibus praedita.

2. Organum gustus proprium lingua est praesertim in radice; Nam potissimus, ac maxime intensus sensus gustandi positus est in illo actu deglutiendi: In eius adice inest etiam hic sensus, nam per idem discernimus sapores: Nullus tamen gustus in parte inferiori linguae est, ubi fraenulo lingua alligatur neque in oesophagi de=

cursu, neque in ventriculo quamquam ista dolorem maximum senti=
at ex fame, et siti. Linguæ fabricam observavit Malpighius com=
poni ex spongiosâ quadam substantiâ.

3. Organum odoratus etiam ex Aris: residet in membranulâ quadam,
quæ vestit squamulas narium: squamulæ autem sunt cartilagines
deorsum hiantes quibus apperatur et obducitur pars ossea na=
rium, quæ columna dicit. Plexus illius membranulæ constat
ex venulis et arteriolis, et fibrillis nerveis, ut retina in oculo.
Præterea est magnæ extensionis licet sit corrugata, quod est op=
portunissimum ad copiam odoris simul ~~percipiendam~~. Huius=
modi squamulæ multæ sunt in omnibus animalibus: sed multo
plures et minutiores in iis, quæ præstant in odorâ, ut canes ve=
natici.

4. Organum auditus sunt aures. Porro aures quatuor [illegible], seu
ossiculis instruuntur quæ numquam crescunt, sed æquales sunt
in infante et in adulto, ut contingit in humore cristallino oculi,
et dicuntur malleolus, incus, stapes, et innominatus. Aures sunt
figuræ ellipticæ, seu ovalis sicuti membrana tympani, et fenestella
labirinthi, seu antri intimi; Hanc enim figuram in cæteris organis
natura affecta. Pars auriculæ præcipua est concha profunda,
et altè sinuata, ut sonorus aer copiosè in ea collectus afficiat
aerem existentem in meatu auditorio, eoque vehementius, quo
maior fuerit impetus sonorus, et maior copia aeris nitentis subi=
re angustum canalem, seu meatum, aer qui in hoc canali consis=
tit velut in exteriori antro contentus ab aere externo urget
membranam tympani: hæc membrana communicat tremores
et vibrationes tum aeri, qui est in antro interiori, tum malleolo

qui præ reliquis oſsiculis maximus eſt, et unâ sui extremitate adhæret membranæ: hic tradunt eundem tremorem in incudem, qui eſt alter oſsiculus, incus vero eundem tremorem communicat alteri oſsiculo, quæ dicitur stapes, et iste demum quarto oſsiculo, atque inde commotio aeris propagatur in antrum intimum labirinthi et afficit nervum auditorium, seu acuſticum, qui proprie eſt organum auditus. Hæc sententia ſupponit sonum nihil aliud eſse, quam undulationem aeris diverso modo ſcuſsi prout diversus eſt sonus ut suo loco dicemus.

5. Organum visus eſt oculus qui ideo dicitur organum opticum. Partes exteriores sunt ſuperſilia, cilia, palpebræ, oſsea pars, et cavitas ipsa in quâ eſt oculus, quæ dicitur orbita oculi. Oculus ipse eſt veluti bulbus, seu cappa conſtans ex pluribus membranis intercipientibus liquores quosdam vel concretos, vel fluidos. Prima et extima oculi membrana dicitur album oculi: secunda quæ sub illa eſt vocatur subalbida. Tertia congruens illi secundæ, et conveſtiens totam orbitam oculi ex anteriori parte dicitur cornea, quæ pelucida eſt ex poſteriori parte dicitur sclirotis, et eſt colore alba. Quarta congruens tertiæ dicitur uvea ex anteriori parte, ex poſteriori coroides: In hac ipsâ membranâ eſt latus circulus discolor et dicitur iris habet foramen circulare in medio quod eſt pupilla in homine rotunda, et in quibusdam brutis oblonga, et deorsum vergens. Poſt quartum eſt altera membrana, quæ dicitur retina conveſtiens cavitatem internam oculi et protenditur ab ipso fundo oculi ultra circa emiſpherium. In oculi fundo interiori eſt nervus opticus a cerebro illud attingens. In medio vero totius oculi spatium interiſpitur, ubi continentur tres liquores diversi, scilicet pupillam in=

rer, et corneam. Sub pupilla autem stagnat liquor aqueus fluidus:
Post aqueum positus est alius liquor concretus, et veluti congelatus,
figuratus in formam lentis utrinque convexæ qui dicitur cristallinus,
qui non pertingit usque ad parietes et tunicas oculi: Post cristalli=
num reliquam oculi cavitatem occupat humor vitreus sic dictus
quod vitrum fusum referat fluoris densitate:
Album oculi refertum est venis, et arterijs nec convestit totam oculi
molem sed partes anteriores externas usque ad circulum iridis.
Cornea oritur ex durâ meninge cerebri proptimum nervum coo=
perit iridem, et pupillam, ibique pellucida refrangit lumen prop=
ter convexam figuram: In reliquis partibus opaca est, et sub=
albescens. Uvea vero coroides prodit ex piâ matre, quæ est pars
aliqua cerebri: Sub iride non congruit corneæ sed intercipitur ali=
quod spatium occupatum ab humore vitreo: Iris supertexta est
uveæ, et facit suum circulum latum inæquali et salebrosa
superficie: Intexitur ex filamentis processuum ciliarium. Retina
pertingit usque ad processus ciliares alligantes humorem cristallinum,
et est mera expansio medullæ nerveæ sicuti cornea est propagatio
duræ matris, et uvea piæ matris. Spatium satis amplum occupat
retina nam organa sensuum extensionem habent non in puncto
consistunt est concava non plana est etiam semidiaphana et
demum est mobilis per fibrillas nerveas, et mutat inæqualita=
tem superficiei, quod utile est ad percipienda discrimina colorum
et figurarum.
Aqueus humor fluidus stagnat inter cristallinum, et corneam:
Spirituosus admodum est nec congelatur vel maximo frigore: Unde
nutriatur tam hic tam reliqui humores, sicuti tres tunicæ cornea

uvea, et retina adhuc sub judice lis est. Cristalinus perfecte diaphanus est et consistit in plurimis membranis diaphanis superimpositis: Utrinque convexus est, sed in homine superior convexitas depressa magis, in avibus et piscibus globulum facit. Cingitur tenuissimâ propriâ tunicâ, quæ dicitur aranea, et infigitur in vitreo veluti gemma in anulo. Ope processuum ciliarium fit magis vel minus convexus pro ratione obiecti propositi: Per processus verò ipsos admovetur vel removetur a vicinitate pupillæ, ut postulat obiecti distantia. Eius munus est colligare radios plures advenientes ab obiecto ità ut omnes in unum punctum retinæ conjungantur ut contingit in vitro convexo, seu lente. Vitreus humor est longè maior aliis liquoribus, et cavitatem oculi maiori ex parte replet.

8. Nervus opticus in duos ramos dividitur, et duo sunt oculi in homine et post divisionem hi rami conjunguntur, ex quo fit juxta aliquos ut unica sit visio licet fiat per duos oculos. Sed fortasse idèo est unica, quia species visibilis licet per duplicem oculum pervenit in idem organum interius cerebri

9. Dubitatur an organum proprium visus sit retina, an uvea. Uveam esse docuit D. Mariot, sed probabilius est esse filamenta nervea dispersa per retinam, quia in nervis sensatio fit ut per illos ad cerebrum pertingat: Uvea autem non constat ex substantiâ nerveâ, sed mera tunica est producta ex piâ matre. Hinc colliges visionem non fieri in humore cristalino, ut olim creditum est, nec in pupilla.

10. Usum omnem oculi exemplis explico. Primo sit cubiculum clausis fenestris obscurum aperiatur foramen exiguum in fenestrâ, unde pateat prospectus in campos, prata, vias &c. obijciatur foramini ad certam distantiam charta alba exprimentur in ipsâ chartâ

velut si aptissimis coloribus depingerentur prata, homines, ædificia posita e regione foraminis licet inverso ordine, quod si lentem crystallinam ad foramen apposueris longè distinctior apparebit pictura in eâdem chartâ. Jam verò oculus est ut cubiculum obscurum, pupilla ut foramen fenestræ, humor crystallinus ut vitrum convexum, humor aqueus et vitreus est ut aer interceptus inter foramen, et chartam, retina ut charta. Secundo bovis oculus detractis ex posteriori parte penitus durioribus arudetur, relictâ tantum retinâ: Admoveatur deinde huius oculi pupilla foramini prædictæ fenestræ apparebunt in illâ retinâ picturata similiter obiecta extra cubiculum posita. Tertio consideratur ipse tubus opticus vitra in telescopio idem præstant, ac cornea et humor crystallinus: Circuli cartacei parvo foramine pertusi quo vestiuntur lentes, ne obliquiores radij subeant, et imaginem turbent, præstant id, quod iris in medio perforata a pupilla: Circuli ferrei, qui lentes in tubo retinent sunt ut processus ciliares: Ater color in tubo interiori præstat idem ac uvea seu coroides, prohibet enim reflexiones lucis. Hæc de sensibus externis paulo uberius dixi, quia fortasse non vacabit alibi dicere.

Articulus secundus.

De sensu interno, seu de imaginativa.

Organum et sedes facultatis sensitivæ internæ communiter statuitur in medio substantiæ candidæ cerebri. Ibi enim sunt origines omnes nervorum, qui affectiones sensibilium obiectorum traducunt ad cerebrum: Cum autem illa substantia candida multiplex sit, P. Honoratus Fabri eam statuit sedem facultatis sensitivæ, quæ est circa ventriculum cerebri ad plexum coroidis, seu retiformem;

Primo quia plexus ille retinam oculi imitatur, quæ est organum vi=
sus, unde ex analogiâ inter sensum externum, et internum ratio du=
citur, cur tale organum statuatur sensui interno. Secundo quia ple=
xus ille elaboratus est minutissimis venulis, aliisque vasis, fibrisque
nerveis diligenter a naturâ intextis, adeòque situs ille ventriculi est
maxime commodus ad excipiendas affectiones sensuum externorum.
Tertio quia minus probabiliter haberetur glandula pinealis pro huius=
modi organo, quæ fuit sententia Cartesij ponentis in illâ sedem ani=
mæ rationalis, ut enim docent plures rei anatomicæ peritissimi in=
ter quos Steno, ad eam usque glandulam non pertingunt nervorum
fibræ, quæ tamen ad plexum retiformem perveniunt: Glandula
autem pinealis supposita plexui retiformi forte inservire potest,
ut in illam fiant reflexiones motuum et spirituum, atque inde spiritus
ipsi determinentur reflexè, ut subeant per ista potius, quam alia fi=
lamenta nervorum ad determinandos motus spontaneos animalis. Igitur
ex eodem Patre Fabri in uno eodemque plexu retiformi reponenda
est sedes facultatis sensitivæ, quæ immaginativa dicitur, et præterea
primaria sedes alterius facultatis sensitivæ, quæ est appetitiva, et de=
mum facultas loco-motiva.

42. His positis explicatur organum, et facultas memoriæ. Plexus ille
retiformis, qui sedes est immaginationis, continuatur cum reliquo cere=
bro, cerebello, et nervis per filamenta tenuissima, quæ fibrillæ sunt
ex quibus cerebrum coalescit; Quemadmodum retina oculi continuatur
cum nervo optico. Cum verò sensatio, et immaginatio obiectorum,
quibus afficitur iste plexus, propagatur per totam massam cerebri,
et cerebelli per illas continuas, et connexas fibras ac proinde in
istis imprimuntur, et insculpuntur phantasmata tanquam sigilla

-gludam, aut vestigia immaginationis ejusdem. Fibræ istæ, quæ vel plexum retiformem constituunt, vel reliquum cerebrum faciant sunt ità molles, ut impressiones excipiant et asservent velati cera obsignata.

3. Quomodo autem phantasmata, seu imagines ipsæ ordinentur, et disponantur in iis fibrilis, duplex afferri solet hypothesis. Unam brevitatis causâ seligo. Species et affectiones rerum sensibilium promiscuè imprimuntur in omnibus fibrillis cerebri, quæ continuatæ et connexæ sunt cum filamentis cujusque nervi destinati certo sensui externo, per quod impressio obiectorum a sensu propagatur ad cerebrum: Id autem factum esse dicunt sine confusione saltem usque ad certam multitudinem; Nam prætervitæ species tandem obliterantur ex accessu novarum. Explicatur hæc hypothesis exemplo soni. Cum audimus musicum concentum plures et diversi soni in eodem aeris tractu simul existunt, et ii non solùm aeri insunt citra confusionem, sed ad aures etiam ordinatæ perveniunt. Singulas enim voces musicorum, et singulos sonos instrumentorum ità discernimus ut possimus ad unam vocem aut sonum præ aliis advertere et unicè attendere. Sic in eodem cerebri tractu inesse possunt innumeræ species diversorum obiectorum minime confusæ nec mutuò sese obliterantes.

4. Cum istæ imagines jam pridem cerebro impressæ iterum organum imaginationis afficiunt ut afficiebant primo existentes, dicitur memoria, quod contingit, cum phantasmatum fibrillæ agitantur, et agitationem suam propagant usque in plexum retiformem qui inde afficitur simili modo, quo affectus fuerat, cum per filamenta nervi optici ad illum primo pervenit species certi obiecti visibilis. Cum ordine recordamur e.g. carmina aliqua ex Virgilio

recitantes successiva illa specierum excitatio ex eo oritur, quod afficia=
tur et excitetur fibrilla una ab altera proxima jam commota
quemadmodum unda in mari determinat motum alterius unda illam
impellendo. Hinc est quod cum intextę sint fibrillę minores, et secun=
darię supra primarias iuxta aliquos, eo felicior est memoria, quo
longiores sunt primarię fibrę et minus interruptę: Fallit autem
memoria, vel quia in dempsatione plurium simul fibrarum una
prę alia inordinatè excitatur vel quia interrupta sit fibra insculpta
speciebus ordinatis vel quià aliquis opex ex humoribus effusis occur=
rat in media fibrę vel quià ex repentino fragore commoto cerebro tur=
batur plexus fibrarum

28. Felix memoria in eo posita est, quod fibrę sint mollio=
res: Hinc tenacissimi sumus eorum, quę rudibus annis
percepimus inquit Plinius quia cum nullę sint impressę species
et figurę obiectorum in plexu illo retiformi puerorum, quę pri=
mę imprimuntur tenacius, et firmius adhęrent. Senes propter si=
citatem cerebri rectè recordantur prięteritorum, sed nil de novo
mandare memorię possunt sicut in cera durissima sigillum imprimi
non potest. Sępe ex ictu aliquo vel morbo tollitur memoria, sępe
inducitur quia plexus fibrarum immutatur, et obstructiones tolluntur
vel inducuntur. Usu memoriâ augetur, ut inquit Plinius, quia fi=
brę ex motu agiliores redduntur ad similes motus iterandos, ut digiti
ad sonum, pedes ad saltum; Tolluntur enim obstructiones ab organis.
Sępe ad memoriam excitandam ducem naturę caput scalpimus, quia
per illum motum fibras fantasticas concutimus. Certum non est, utrum
deleantur omninò species, et imagines ex memoriâ, saltem ità atte=
nuantur ut a sfera dainagnon posit quantum par est organum

interni sensus; idcircò repetitis imaginationibus altius insculpuntur, ut diutius inhæreant.

6. Memoria, judicium, acumen ingenij singula referri possunt in cerebri constitutionem idoneam ad imagines certo modo excitandas. Si enim cerebrum malam induerit conformationem, vel fibræ sint crassiores et nimis aptæ ad motum, vel nimis molles, vel ipsi spiritus animales sint inertes, et fibræ ipsæ obstructionibus rigidæ, et indociles, hebes, iners, tardum erit ingenium. Hinc videmus huiusmodi homines somnolentos et pigros, ut plurimum apparere. Si verò fibræ sint tenues, dociles, flexibiles, et convenienter solidæ ad ingenium plurimum conferunt: si præterea fuerit plexus fibrarum huiusmodi, ut ex eo motus passionum traducantur in capita, et oscula nervorum non præceps erit et turbolentus homo ille sed æquabilis et tranquillus: Si spiritus animales ex nervis perturbata reflexione regurgitant intraneum et fibrillas phantasmatum et eas subinatare faciant confusio ingenij oritur atque ideò dicuntur passiones turbare judicium.

7. Breviter nunc de imaginationibus, quæ in somno contingunt dicendum est: Somnus est quies dulcissima totius corporis, et nobis incidit cum cessante agitatione cerebri orificia nervulorum premuntur eâ præsertim de causâ, quod seroso humore et vapore mixto spiritibus, nec probè digesto cerebrum obtuatur, præsertim pars illa cinerea seu cortex. In somno spiritus animales ductu suo in cerebrum per nervos refluunt: Hinc artus et musculi corporis destituti spiritibus per somnum torpescunt, et palpebræ concidunt, et oculos integunt. Prætera usus omnium sensuum somno intermittitur quia nervi sensorij seu sensibus externis respondentes evadunt flaccidi et laxi, ità ut sicuti cordæ laxæ remissæque non sonant,

sic nervi cerebro non communicant affectionem sensibilem. Si vi extrinsecâ agitantur dormientis membra, valida illa motio propagatur usque ad cerebrum, atque inde aperiuntur ostiola, et oscula nervorum et affluunt spiritus in organa sensuum, et dormiens excitatur, quamvis initio stupidus, et hebes quia humor serosus in nervis adhuc perstat, et prohibet spirituum energiam, quem humorem duce natura extensione artuum conamur exprimere, et excutere.

48. Sæpe, nisi fortasse semper cum dormimus, somniamus. Hoc ideo contingit, quia fibræ, in quibus impressa sunt phantasmata per diem a spiritibus in cerebro coacervatis, et ab affuso humore vellicantur et urgentur ad motum. Unde videtur nobis sensus internus affici perinde ac si ex obiecto præsenti per sensus externos ad internum affectio traduceretur, et multa simul videmur apprehendere sed incomposita quia fibræ suum servantes ordinem cum alijs fibris obstructæ affuso humore cum reliquis non excitantur. Non solum homines, sed bruta etiam somniare ijsdem de causis certum videtur, quia videmus dormientes canes agitari, et latrare. Cæterum in somnio nulla est intellectio spiritualis, sed mera immaginatio ex phantasmate excitato quod patet si discrimen advertamus, cum somniamus et cum vigilamus. Ab immaginatione somniantis determinantur quandoque motus passionum ita ut irasci videantur, ac dolere. Aliquando etiam motus spontanei, nam agitatio spirituum in somnijs propagatur ad nervos, atque inde fit ut somniantes loco se moveant; Et si spiritus in eos nervos subeant qui destinati sunt ad incessum dormientes consurgunt, se vestibus induunt, et per domum discurrunt.

Articulus tertius.

Statuitur nostra conclusio.

19. Explicatis sensibus externis et vi imaginativâ quaerimus modò, utrum omnis cognitio a sensibus habeatur. Alij: Epicurus, Gassendus docent cognitionem omnem oriri a sensibus. Et certè si sermo sit de rebus sensibilibus, hoc illis ultrò concedimus, quamvis difficultas sit in explicandis cognitionibus earum rerum, quas nunquam sensibus percepimus. Huic difficultati respondet Gassendus docens, cognitiones huiusmodi rerum haberi per hoc, quod coniungantur simul ideę cognitiones, quas olim per sensus habuimus. id autem thomo 1. Logicę regula 3. docet contingere pluribus modis 1. *per compositionem*, ut quando ex cognitione montis, et auri tertiam quandam cognitionem componimus, quâ nobis montem aureum repraesentamus: 2. *per ampliationem* ut cum cognitionem hominis staturę vulgaris velut ampliantes Gigantem apprehendimus, quem nunquam vidimus: 3. *per diminutionem*, ut cum eandem hominis cognitionem imminuentes Pygmaeum agnoscimus: 4. *per similitudinem* ut cum volentes cogitare urbem Romam quam nunquam vidimus, accomodamus illi proprietates earum urbium, quas aliquandò vidimus.

20. Si sermo sit de rebus spiritualibus, harum etiam cognitionem ex sensibus, et phantasmatibus derivant Gassendus et Peripatetici. Dicunt enim, cum Dei nomen audimus, excitari in nobis speciem imaginativam vel alicuius venerabilis Senis iuxta illud Danielis 7. *Antiquus dierum sedit capilli capitis eius quasi lana munda*, vel magni alicuius pelagi, ex quo creaturę omnes veluti flumina exeunt, vel aurę subtilissimę in quâ se Deus videndum dedit Elię, *quasi sibilum aurę tenuis*: Excitatâ hac imaginatione ex ijs, quę vidimus, aut audi=

vimus produci dicunt speciem spiritualem, et cognitionem Dei. Eodem modo cum cogitamus Angelos præcedere volunt phantasma alati juvenis: Cum cogitamus animam, phantasma præcedere cujusdam flammulæ, vel auræ tenuis; Atque ita statuunt, cognitionem omnem oriri a sensibus.

21. Sit nostra conclusio: Non omnis cognitio oritur a sensibus, seu non omnem cognitionem præcedit aut comitatur sensatio vel actus phantasiæ repræsentans illud ipsum obiectum, quod cognoscitur. Dico illud ipsum obiectum quia non nego ad omnem cognitionem præcedere, aut comitari aliquem actum phantasiæ ortum a sensibus, sed nego, quod præcedat aut comitetur talis actus phantasiæ, qui repræsentat illud ipsum obiectum, quod cognoscitur.

22. Nos, qui ideas innatas rerum intelligibilium admisimus illis suppositis facilè probamus conclusionem, sed præscindendo omninò ab ideis probatur primo. Sæpè Deum, Angelos, animam, et alias res spirituales cogitamus, quin ulla sensatio externa, aut phantasma præcedat, et comitetur; Ergò non omnem cognitionem præcedit, aut comitatur sensatio, vel actus phantasiæ repræsentans obiectum cognitum. Ans. experientiâ videtur constare; Quoties enim oramus Deum, quin imaginemur neque senem, neque pelegum, neque aurum? Quoties de salute animæ nostræ cogitamus, quin eam per motum vel auræ, vel flammulæ nobis repræsentemus in phantasiâ? Confir: cum Deum cognoscimus dependenter ab istis phantasmatibus repræsentantibus senem &c. ne nos imaginatio decipiat, necesse est, ut anima ratiocinando corrigat phantasiam, et judicium ferat negans Deum esse senem: Ab hoc judicio negativo progreditur ad affirmativum, quo de Deo affirmat esse substantiam spiritualem, immortalem, infinitam, nullo loco inclusam &c. Denique ni=

hil esse ex his, quæ sensu apprehenduntur, sed aliquid aliud lon-
ge remotum a sensibus. Jam verò ista affirmatio clare includit, aut
supponit aliquam cognitionem hujus substantiæ spiritualis; nam
omne judicium vel includit, vel supponit cognitionem et apprehens-
ionem rei, de quâ judicamus; hæc autem cognitio repræsentans
aliquod remotum a sensibus, certè a sensibus oriri non potest; ergò
cum Deum cognoscimus, ista cognitio saltem non necessariò pendet
a sensibus.

23. Prob: secundò evertendo fundamentum adversariorum. Ideò ad om-
nem cognitionem prærequiritur phantasma materiale repræsent-
ans obiectum cognitum quia anima ratione unionis cum corpore
operari non potest nisi dependenter a corpore. Sed hoc est falsum,
ergò &c. Prob: mi: anima non judicat, neque discurrit dependen-
ter a sensibus; ergò falsum est, quod anima ratione unionis operari
non possit, nisi dependenter a corpore. Ans: conceditur ab adversariis;
sed ad consequentiam non video quæ disparitas afferri possit;
si enim anima non indiget sensibus in judicando, et discurrendo, atque
adeò independenter ab illis sæpè operatur licet sit unita corpori, cur
debet a sensibus necessariò dependere in cognitionibus omnium
obiectorum. Accedit auctoritas S. Aug. qui in psalmum 41, et
epis: 88, et lib: 6 de musicâ apertè docet, cognitionem Dei non
pendere a sensibus.

24. Objicies primo. Non est assignabilis modus, quo cognoscantur obiecta,
nisi per sensus, et phantasmata, quæ eadem obiecta repræsentant;
ergò omnis cognitio pendet a sensibus. R. dis: ans: non est assignabilis
modus in obiectis sensibilibus con: ans: in obiectis spiritualibus ne:
ans: et cons: Obiecta sensibilia cognoscuntur solum per sensus,

et phantasmata, quę illam repræsentant, et ratio desumitur non tum ex unione animę cum corpore, quam ex modo, quo illa obiecta se nobis cognoscenda proponunt, quem modum alibi ex=plicuimus. Cum autem obiecta spiritualia sensibus non subjace=ant, necesse non est, ut cum rem spiritualem cognoscimus, materia=le aliquod phantasma illam repræsentans præcedat, aut concitetur. Quia potest anima per se elicere cognitionem rei spiritualis desumpta occasione ex alio quocumque phantasmate quamvis hoc phantasma rem illam spiritualem non repræsentet. Audimus e.g. hanc vocem Deus, et hęc vox imaginationi nostrę repræsentatur dico hunc actum imaginationis repræsentantem hanc vocem satis esse, ad animam deter=minandam ut cognitionem Dei spiritualem eliciat. idem dicendum de cogni=tione Angeli, animę &c.

25. Obijcies secundo. Intellectus sicuti est potentia necessaria indiget deter=minari ad aliquid cognoscendum, sed a nullâ re potest determinari nisi a phantasmate; ergò illo indiget. Rx: con: ma: et dis: mi: non po=test determinari nisi a phantasmate rem ipsam spiritualem repræ=sentante ne: mi; ab alio quocumque phantasmate con: mi: et sub eâdem distinctione con: et ne: cons: Intellectus in cognitione rei spiri=tualis non determinatur necessariò ab actu imaginationis illam repræ=sentante, sed sufficit aliquod aliud phantasma licet non sit rei co=gnitę repræsentativum ut suprà diximus.

26. Instabis contra responsionem. Phantasma quod non sit repræsentati=vum rei cognitę nullam habet proportionem cum cognitione; ergò non sufficit quodlibet phantasma, ut intellectus determinetur ad cognoscendum. Rx: ne: ans: Phantasma quod excitatur ad hanc vo=cem Deus, aut ad pulchritudinem creaturarum habet aliquam pro=

portionem ejus cognitione Dei. Sicuti enim proportionem habet, ut ex illâ progrediatur anima ad affirmandam existentiam Dei, ita proportionem habet ad determinandam animam ut cognitionem Dei producat.

27. Deus cognoscitur [objicies tertio] per creaturas sensibiles juxta illud Apostoli ad Romanos primo invisibilia ipsius a creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: hoc præsertim ex iis quæ audivimus; Fides enim ex auditu et quomodo credent ei, quem non audierunt, ut est ad Romanos 10. Epistola. Rp. con: ant: et dist. consequens: ergo cognitio rerum spiritualium habetur per sensus, quatenus præcedat aut comitetur aliquis actus imaginationis ideas repræsentans ea: conc: quatenus præcedat actus imaginationis, qui illas non repræsentet, con: cons: Ut sæpè dixi non nego ad cognitionem rei spiritualis requiri aliquod phantasma solum nego illud phantasma requiri, quod res spirituales repræsentet. Apos: in 1. loco docet quidem judicium, seu affirmationem de existentiâ Dei inferri ex creaturis non autem excludit alio modo posse nos ipsum cognoscere quemadmodum diximus non excludi per ea verba cognitionem innatam Dei. In secundo loco Apos: docet primas cognitiones, quas de rebus fidei habemus esse ex auditu per Ecclesiæ ministros, Id enim statuit Deus in præsenti providentiâ ut per illos regulariter nobis veritates fidei innotescerent; Cæterum non excludit posse nos cognoscere deindè independenter a sensibus, et etiam per revelationem internam, et non ex auditu ut factum est in sanctis Prophetis.

28. Objicies quarto. Non aliter Deus repræsentatur, quam per modum senis, vel auræ &c. nec Angelus quam per modum juvenis alati; Ergò per sensus cognoscimus. Rp: dis: ant. non aliter repræ=

hæsentatur imaginationi con: ant: intellectui ne: ant: hæc enim obiecta intellectus cognoscit per medium substantiæ spiritualis, quamvis alijs explicantur per species sensibiles.

29. Obijcies quinto. Anima non habet species impressas proprias rerum spiritualium. Ergò illas cognoscit per species alienas; sed species alienæ sunt obiectorum sensibilium; ergò cognoscit per species sensibiles, atque adeò intervenit actus imaginationis, qui repræhesentet res spirituales. R. con: anthijmema, et minorem subsumptam, et dis: consequens. Ergò anima cognoscit spiritualia per species sensibiles, quæ obiecta spiritualia repræhesentent na: cons: quæ illa non repræhesent con: cons: Superius dixi, speciem aliquam materialem requiri, quæ determinet animam ad cognitionem rerum spiritualium, negavi solum, huiusmodi speciem necessariò debere esse repræhesentativam illius rei spiritualis.

30. Quæres an cognitio illa, quam de Deo habemus, et de rebus spiritualibus independenter a sensibus sit intuitiva, an abstractiva, quod quæri etiam potest de cognitione illâ quam de Deo habemus per ideam innatam. Cognitio intuitiva rei est illa per quam cognoscimus obiectum vel immediatè in se ipso, ut Beati Deum in Cælo vident, vel per species proprias ab obiecto emissas, ut Angeli res naturales, et homines cognoscunt corpora. Cognitio abstractiva est illa per quam cognoscimus obiectum mediatè et per species alienas. Hac cognitione dicunt alij à nos cognoscere substantias corporeas quia illas cognoscimus per accidentia, et res spirituales, quia illas cognoscimus vel per effectus ut animam rationalem, vel per discursum inferimus. Ad cognitionem intuitivam requiritur existentia et præsentia obiecti, non autem ad cognitionem abstractivam.

31. Dico igitur cum communi sententia Theologorum in hac vitâ non posse Deum intuitivè cognosci, sed solum abstractivè juxta Apos: videmus nunc per speculum &c: quod etiam dicendum est de cognitione quâ Angelos cognoscimus, et fortasse animam, et cognitiones nostras, de quibus tamen dubitandum videtur. Quamvis ergo Deus cognoscatur independenter a sensibus, et a specie materiali illum repraesentante et quamvis cognoscatur per cognitionem ingenitam, tamen abstractivè solum cognoscitur, quia non cognoscitur immediatè et in se ipso, neque per species proprias ab ipso emmissas. Cognitio enim innata Dei est quidem immediatè producta ab ipso Deo, et ab eodem illuminata cum per sensus exhibetur ocasio, sed non ea est, ut per illam Deum immediatè, et in se ipso cognoscamus, sed solum in imagine nobis quidem a Deo impressâ, sed ab eadem omninò distincta.

32. Sententia olim fuit Nicolai Malebranchi Parisini Presbiteri Oratorii Domini Jesu. In eo opere quod inscripsit de veritatis inquisitione nos Deum cognoscere non per ideam quamdam, aut speciem vel imaginem a Deo distinctam, sed in se ipso cognoscere quatenus menti nostrę intimè pręsens est, eamque illuminat, Adeòque cum Deum cognoscimus, docet iste author Divinam esentiam nos intueri velut intimè nobis pręsentem. Sed ab istâ sententiâ ex auctoritate Aposi: meritò ferè omnes recedunt.

33. Objicies sexto. Cum sensus torpore aliquo, vel somno detinentur impeditur anima a cognoscendo; Ergò cognitio omnis pendet a sensibus. R. primo retorquendo argumentum. Cum sensus impediti sunt non potest anima judicare et discurrere; Ergo isti actus pendent a sensibus, quod falsum est. R. secundo con: ant: et ne: cons: Recta corporis constitutio, et sensuum vigor sunt conditiones necessarię ad cognoscendum, quę si

deficiant experimur ferè nihil nos posse cognoscere. Sic etiam postquam intellectus per longum tempus studuit, cerebrum, quod est interni sensus organum, defatigatur, et debilitatur, quià omnis animæ cognitio conjuncta est cum aliquâ sensatione internâ: Non sequitur autem hanc sensationem internam, per quam cerebrum defatigatur, huiusmodi esse ut repræsentet res illas, quas cognoscimus.

34. Objicies septimo. S. Aug: ser: 47. de Tempore dicit in homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi: Deinde Aris: libro 2 de animâ cap: 12: Imaginatio non fit sine sensu, et sine hac non est existimatio: et lib: 3. de anima cap: 7. qui non sentit aliquid nihil utique addiscet nec intelliget et cum speculatur necesse est simul phantasma aliquod speculari. Ergò ex auctoritate horum cognitio omnis pendet a sensibus. R. con: ant. et neg: cons: Explico textus. S. Aug: intelligendus est in sensu morali, quatenus homines voluptuosi plerumque judicant iuxta sensus et secuntur id quod sensibus gratum est, iuxta illud Apos: animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Quod autem fatemur omnem cognitionem cum aliqua specie materiali coniungi, quod postulat unio animæ cum corpore, et negamus eam speciem materialem, qua determinatur anima ad cognitionem debere esse necessariò repræsentativam objecti, quod cognoscitur.

Disputatio tertia.

Utrum ex ideis desumendum sit quod aiunt, veritatis Criterium.

Articulus primus.

Auctorum sententiæ referuntur.

1. Quemadmodum aliqua nos certò scire supra dicimus, et veritatem in pluribus nos assequi posse contra Academicos statuimus, ità quærendum nobis est quæ sit regula certa, ad quam tanquam ad

Lijdium lapidem referri debeant cognitiones nostræ ut certi simus veritatem nos esse assequutos; hæc regula dicitur Criterium veritatis, quam Cic: pri: de finibus interpretatur judicium, seu judicatorium veritatis, quia per illam verum a falso distinguimus. In hac regula seu criterio plurimum inter se dissident philosophi. Pyrrhonici qui de veritate invenienda desperabant nullam veritatis regulam reperiri arbitrabantur: Qui veritatem invenisse sese jactabant,
2. alij aliam regulam tradiderunt. 2°. Pythagoricis illa erat veritatis regula, magistri auctoritas; Cum enim ratio ab ijs de re aliquâ naturali quæreretur quam a magistro suo audissent eam unam rationem reponebant: ipse dixit, quod superbè factum est, cum præter auctoritatem Divinam nulla sit alia auctoritas, cui acquiescere debeamus. Epicurei omnem veritatis regulam in sensibus reponebant iuxta illud Lucretij lib: 5.

a sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli,

de quâ regulâ inferius dicemus. Democritus solam rationem esse criterium putavit, sensus autem propter illorum imbecillitatem non posse vera judicare. Plato omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus, et a sensibus cogitationis ipsius, et mentis esse voluit, ut inquit Cic: lib: 2. de finibus. Nimirum docuit eam rerum partem, quæ ad sensus pertinet esse opinabilem; Scientiam verò in solis animi notionibus atque rationibus sitam esse. Platonici veritatis regulam partim in sensibus, partim in ratione constituebant quod etiam de Aris: et Theophrasto refert Empiricus. Peripatetici illam statuunt veritatis normam quod omnibus videtur verum est.
S. Clemens Alexan: lib: 2. Stromatum: hæc veritatis criteria ponit,

1. doctrina et sapientia Salvatoris nimirum Divina auctoritas 2. mens
quę naturaliter veritatem cognoscit. 3. evidentia. 4. sensus: hęc veteres.
3. Gassendus sicuti universam Epicuri philosophiam ad usum Catholicę
scholę traduxit, ità Epicuri criterium secutus est. Cartesius novitatis
amator hoc principium statuit: Illud est verum, de quo habemus cla-
ram et distinctam ideam. Aliqui philosophiam in veterem seu conten-
tiosam et in novam seu experimentalem dividentes, veteris quidem
nullum assignant criterium, novę criterium sola experimenta ponunt,
ità ut illud verum sit quod experimentis constat atque adeò Empyrici
dicuntur hoc est experimentales. Suo loco videbimus quanti facienda sit
hęc regula, in quâ summam laudem consecutę sunt Academia Patavi-
na, Pisana, et Florentina dicta del cimento. Bernardus Lamij
Presbiter Oratorij Gallicani a philosophiâ excludit quidquid a fide
et sacrâ auctoritate habetur. Joannes Clericus res naturales explicari
voluit praescindendo a rebus fidei, quos multi ex Angliâ et Galliâ
secuntur: Infertur ex his auctoribus opiniones philosophicas esse
retinendas etiamsi Divinę fidei et Romanorum Pontificum definitio-
nibus adversentur, quod impium est et blasphemum.

Articulus secundus

Refellitur criterium Cartesij.

4. Ad veritatem inveniendam praescribit 1. Cartesius de omnibus esse du-
bitandum de quo alibi diximus, Deinde docet illud omne et solum
pro vero statuendum esse, quod per claram et distinctam ideam no-
bis repraesentatur. Veritatem huius regulę duplici ratione probat
1. quia idea clara et distincta a Deo est, et est participatio quędam
Divini luminis, per quam Deus nobis facultatem tribuit judicandi de
rebus. 2. quia Deus fallere non potest. Cum autem aliqua obiecta

minus clara nobis sistat somus, magnitudo Solis, ipsius lumen &c: dicit posse nos etiam quoad ista veritatem assequi si quod ab una idea minus clarum nobis exhibetur cum aliâ ideâ comparemus.

5. Sit nostra conclusio. Criterium Cartesij inutile est ad veritatem assequendam. Prob: illud veritatis criterium est inutile, quod obscurum est et incertum, quod universale non est, quod saepè fallit; sed hujusmodi est criterium Cartesij; Ergò est inutile. Ma: constat. quia regula veritatis clara esse debet, non particularis, non fallax aliter non potest intellectus per eam vera a falsis distinguere. Probatur mi: quoad primam partem. Tunc esset incerta et obscura haec regula, cum non praescriberet Cartesius, qui claritatis, et distictionis gradus in ideâ requireretur, sed hunc gradum non perscribit; ergo incerta remanet, et obscura haec regula: Ma: videtur constare, quià quod cognoscimus per ideas, potest suscipere maiorem et minorem claritatem. ergò donec ignoremus ad quam claritatis gradum pertingere debet idea, incerti erimus de veritatis normâ. Si dicat quamcumque claritatem sufficere sequitur quod ambae propositiones contradictoriae possint esse simul verae et simul falsae, ut contra Protagoram dicit Aris: cum utriusque propositionis possit esse idea clara indiversis intellectibus. Sic Cartesio vera apparet haec propositio essentia corporis est actualis extensio: Peripatetico apparet vera illius contradictoria, essentia corporis non est actualis extensio. Si dicat quod sola claritas, quae rapit intellectum ad assensum sit regula veritatis cum Peripateticis re ipsa convenit qui dicunt ea esse vera, quae evidentiâ absolutae sunt, et nihil dixi de novo.

6. Prob: mi: quoad secundam partem: Multa vera sunt, quorum ideam claram non habemus; Ergo universalis non est regula a Cartesio

confirmata. Arg: patet in mijsterijs Divinę Fidei, in methodo, et ordine Divinę Providentię, in existentia et quidditate animę, in circulatione sanguinis, de quibus omnibus habemus ideam solum confusam cum solum obscurę percipiamus e.g. modum quo ab animâ peragitur motus iste perpetuus sanguinis.

7. Prob: mi: quoad tertiam partem: Nisi nomine ideę clarę, et distinctę intelligatur evidentia rapiens intellectum ad assensum, facile erit ut alicui idead appareat clarè et distinctè verum, quod re ipsa falsum est; Ergo sæpè nos fallet regula veritatis quam Cartesius statuit. Arg: experientia constat, clarè enim et distinctè verum olim apparuit ascensus liquorum in tubis, et antlijs provenire ex horrore vacui et æstum maris ex incremento vel decremento lunaris lucis, quę falsa esse deinde cognovimus; Quare non immeritò Cartesij regula præsertim si universalis statuatur comparatur privato spiritui hæreticorum. Volebant enim Lutherus, et Calvinus obscura scripturę loca non explicari ex Ecclesię sensu aut Sanctorum Patrum sed iuxta privatum lumen a quo singuli fideles diriguntur. Sic Cartesius veritatem metitur non ex auctoritate sapientum aut firmâ ratione, sed ex eo quod singulis apparet.

8. Obijcies tamen. Si si verum esset id, quod clarè et distinctè percipimus Deus esset auctor erroris, et falsitatis. Hoc dici non potest. Ergo verum est. Ma: prob: quia idearum auctor est Deus. Ergo si illę essent falsę, et erroneę, Deus esset auctor erroris. Miror Cartesium qui sacram Scripturam, et theologiam a philosophiâ excludit, ad ideas nunc provocare, ut regulam suam confirmet. Rs: igitur primo dis: ma: Si supponamus omnium rerum ideas a Deo nobis infusas esse omitto ma: si supponamus, plurium rerum ideas ope sensuum

esse acquisitus ne: ma: et omissâ minori ne: cons: Certè si plures cognitiones per sensus acquirimus, et earum obiecta clarè et distinctè percipimus, non Deus erit author erroris si falsa esse deprehendantur, sed nos ipsi qui sensibilibus perceptionibus malè utimur ad judicia efformanda.

Dices: Ergo in ijs rebus, de quibus habemus claram, et distinctam ideam a Deo impressam optima erit regula veritatis a Cartesio posita.

R: con: cons: quoad illas res in particulari, sed tamen deficit regula, quia universalis non est cum omnes ideas non admittamus.

9. R: secundo ne: mi: Certum est ex Fide, Deum neque umquam esse mentitum, neque mentiri posse, quae fuit Priscilianistarum blasphemia, et Armenorum certum est etiam, Deum non posse falsum revelare: Quaeritur tamen a Theologis, an Deus possit esse causa per se, et author erroris physici, et iudicij falsi et erronei v.g. Sol est magnitudinis unius palmi. negat P. Suarez dis: 44. metaphysicae. Affirmant Cardi: de Lugo disputatione 4. de Fide sectione 3. Vasquez prima secundae disputatione 90. Ratio est, quia Deus infundendo intellectui humano iudicium falsum nec loqueretur, nec mentiretur, Non enim intenderet Deus significare illi homini, quod in mente ipsius Dei adesset tale iudicium aut eidem constaret, huiusmodi iudicium esse verum, sed solum vellet Deus, quod iste homo assentiretur per tale iudicium erroneum illi obiecto. Deinde error intellectualis esset malum purè physicum nimirum non coniunctum necessariò cum aliquâ morum inhonestate. Et sicuti causa potest esse per se Deus mortis, doloris &c. quae sunt mala physica, ità non est cur Deus non possit esse causa erroris intellectualis, qui est malum purè physicum. Peccatum quidem nullo modo vel potest Deus, quia est malum morale. Itaque in sententiâ horum auctorum

quamvis Deus author sit idearum, et per illas nos clarè et dis-
tinctè percipiamus, tamen istæ cognitiones falsæ esse possunt non
enim repugnant posse Deum infundere in intellectu nostro iudi-
cium falsum; adverte tamen, quod per hoc Deus neque esset de-
ceptor neque simulator, hæc enim denominatio in sensu proprio
importat locutionem mendacem, Deus autem in eo casu nihil lo-
queretur.

10. Ex dictis sequitur, admittendam non esse Cartesii regulam ad cogno-
scendam veritatem, primo quia non omnia cognoscimus per ideas;
secundo quia licet omnia cognosceremus per ideas, certum non est, in il-
lis falsum subesse non posse: Quare illa regula neque est univer-
salis, neque certa.

Articulus tertius.

Statuitur quæ sit veritatis regula. Ad duo præcipuè capita re-
11. vocari potest omne veritatis criterium nimirum ad rationem et
auctoritatem. Has duas regulas sequentibus conclusionibus ex-
pono.

12. Dico primo. Auctoritas Divina est certissima regula veritatis.
Prob: Auctoritas Divina innititur testimonio Dei revelantis, et lo-
quentis; sed cum Deus loquitur et revelat aliquid certissimi sumus
illud esse verum, quia nec falli potest, nec fallere, cum sit in-
finitè sapiens, et verax; Ergo cum Deo credimus, certissimi sumus,
nos non errare; Ergo est Divina auctoritas certissima regula veri-
tatis. Conclusio est de fide, nec indiget ulteriori probatione apud
Catholicos.

13. Nomine auctoritatis Divinæ intelligitur quidquid a sacrâ scrip-
turâ in veteri, et novo testamento, a traditionibus Apostolicis, a Con-

ciliis Generalibus, à Romano Pontifice definitum est. quia quæcumque nobis per ista proponuntur tanquam à Deo revelata credi debent quod satis probant omnes Theologi, ad quos pertinent hæc omnia docere. Qui libri habendi sint pro sacrâ Scripturâ definivit Concilium Triden: quod etiam docuit sequi nos debere vulgatam latinam editionem S. Hieronimi. Iam verò Concilia illa dicuntur generalia, quæ indicta sunt a Romano Pon: et ab eodem approbata et quibus interfuit, vel interesse possunt quotquot in Eclesiâ Catholicâ Episcopi numerantur. Ea sunt omninò 18: quæ placet referre ex Cardi: Belar: thomo 2: de Concilijs, et Eclesiâ cap: 5:

14. Primum est Nicænum celebratum anno 327: sub S. Silvestro Papa, et Costantino Imp: contra Arianos. Adfuerunt Episcopi 318:
Secundum Costantinopolitanum celebratum an: 383: sub S. Damaso Pon: et Theodosio Seniore contra Macedonium impugnantem Spiritus Sancti divinitatem. Convenerunt Epis: 150.
3. Ephesinum sub S. Cælestino I. et Theodosio Iuniore an: 434: contra Nestorium: Convenerunt Epis: 200: Nestorius autem dicebat in Christo unam tantùm esse personam.
4. Calcedonense sub S. Leone I. et Marciano Imp: an: 454. Adfuerunt Ep: 430. celebratum est contra Eutijchen dicentem unam tantum in Christo naturam esse post Incarnationem.
5. Costantinopolitanum secundum sub Vigilio, et Iustiniano Seniore Imp: an: 553: Convenerunt Epis: 165: damnati sunt Origenes, Didimus, et Evagrius, et præterea scripta Theodori Mopsuestani, et Theodoreti Cirensis, et epistola Ibæ ad Marinum Persam.
6. Costanti: tertium sub Agathone Pon: et Costantino Quarto an: 681: convenerunt Epis: 289. damnata est hæresis Monothelitarum;

qui unam tantùm in Christo voluntatem esse volebant.

7. Nicenum. 2. sub Adriano, et Costantino et Irene Impp: an: 786: iuxta Cedrenum. Convenerunt Epis: 350. damnati sunt Iconomaci, qui sacras Imagines impugnabant.

8. Costanti: quartum sub Adriano 2. et Basilio Imp: an: 870. convenerunt Epis: 383. actum est de depositione Photij, et ordinatione Ignatij in Patriarcam Costan:

9. Lateranense primum sub Calixto II et Enrico V: Imp: anno: 1123. Adfuerunt Epis: 900. actum est contra Saracenos pro recuperandâ Terrâ Sanctâ.

10. Lateranense II. sub Innocentio II. et Lothario Imp: an: 1139. adfuerunt Epis: 1000: actum est contra Antipapas, et pro iure Cleri.

11. Lateranense tertium sub Alexandro III. et Friderico I. Imp: an: 1180. Convenerunt Epis: fermè 300: actum est de reformatione Ecclesiæ et contra ~~Al~~ Waldenses.

12. Lateranense IV: sub Innocentio III: et Friderico II: anno: 1225: adfuerunt Epis: 473: et PP. 810. actum est contra varias hæreses et pro Terrâ Sanctâ.

13. Lugdunense I. sub Innocentio IV: et Friderico II: an: 1245: numerus patrum non habetur.

14. Lugdunense II: sub Gregorio X: et Rodulpho Imp: anno: 1274: adfuerunt Patres fermè 1000:

15. Viennense sub Clemente V: et Enrico VII: anno 1311. adfuerunt 300 Epis: actum est de varijs hæresibus. Extat ex hoc Concilio decreta quæ dicuntur Clementinæ.

16. Florentinum sub Eugenio IV: et Alberto Imp: anno 1439. adfuerunt patres 141: contra errores Græcorum multa

definita sunt.

17. Lateranense V: sub Julio 2: et Leone X: et Maximi=
liano Imp: ab anno 1512: ad annum 1517: adfuerunt Patres
114: actum fuit contra Schismata, et statuta sunt quae dicun=
tur concordata Germaniae.

18: Tridentinum sub Paulo III: Julio III: Pio IV: et
Carolo V: et Ferdinando Imp:bus ab anno 1545: usque ad annum
1563 adfuerunt 6. Cardi: 4. Legati: 3. Patriarchae. 32. Archie=
piscopi. 228: Epi: 5. Abbates, 7. Generales ordinum ministri,
plurimi Episcoporum procuratores. actum est contra Lutherum,
et Calvinum, et contra omnes haereses.

Haec de Conciliis approbatis, quae autem reprobata fuerint, quae etiam
partim confirmata videantur Belar: lo: cit:

15. Dico secundo authoritas humana est aliqua regula veritatis. Hanc
conclusionem exponit Melchior Canus lib: 7: de locis Theologicis,
et Thesaurus in concordia rationis et fidei. in authoritate humana
distinguenda est authoritas SS. Patrum, et authoritas philosophorum.
Quoad S. Patres primum dico, unanimem eorum consensum in ex=
positione S. Scripturae esse certam normam et criterium infallibile
de sensu, quem ferunt verba eiusdem. Hoc sancivit Concilium
Lateran: V: ar: 12. et Triden: ses: 4. quia credendum est in his
speciali Spi: S. lumine directos fuisse; unde ab Urbano VIII:
merito reprobata est, ut suo loco videbimus, sententia de motu terrae,
quia expresse contraria communi sensui SS. Patrum in exponenda
S. Scriptura Ecclesiastes cap: 1. Cathalogum SS. Patrum texit primo
S. Hieronimus deinde Cardi: Belar: et Pater Antonius Possevinus
de scriptoribus Ecclesiasticis.

26. Deinde dico in iis quae neque ad sensum scripturarum, neque ad
Theologiam neque ad mores pertinent, sed ad solam philosophiam na=
turalem, plurimum quidem honorem habendum esse Ecclesiae Patribus,
ut pote qui omnium scientiarum gloriâ floruerint, sed tamen eos
non facere certam normam veritatis, cui contradici non possit. Ratio
est, quia authoritas paucorum Patrum, imo etiam omnium in rebus
naturalibus, in quibus non gerunt munus Interpretis, quo Deus
utatur ad fidem illustrandam, est authoritas purè humana, inquit
Melchior Canus; sed authoritas purè humana non est infallibilis.
Ergo authoritas paucorum Patrum, imo etiam omnium non est
in rebus naturalibus norma certa veritatis. Praeterea multi S. Patres
philosophicas quaestiones neglexerunt, et saepè locuti sunt ex placitis
eius sectae, cui addicti prius fuerant; ergo non sunt maior regula
veritatis, quàm philosophi quos sequuntur. Accedit quod aliquos
Patres errasse constat in aliquibus rebus naturalibus ut S. Hila=
rius qui nullum esse sal terrae est arbitratus, et S. Aug: qui
in libris de Civit: Dei negavit Antipodas. Nihilominus magnâ
verecundiâ, et modestiâ et non sine gravi fundamento ab eorum
sententia est recedendum in iis etiam, quae ad philosophiam per=
tinent ut exemplo suo docuit S. Thomas, praesertim si multi in
eâdem sententiâ conveniant.

27. Quoad authoritatem philosophorum dico si omnes philosophi
in re aliquâ naturali explicandâ conveniant licet non excedat
eorum authoritas fidem humanam, et certitudinem moralem
tamen esse sufficienter regulam veritatis, et eorum testimonio
inniti nos posse, neque ab iis recedendum esse sine gravi funda=
mento. Ratio duplex est 1. quia philosophorum consensus est

consensus sapientum. 2. quià sicuti omnium bonorum consensus in iis quæ ad mores pertinent est sufficiens regula ad benè operandum, et omnium peritorum authoritas in artibus, et in jure civili aut canonico, est sufficiens regula ad benè judicandum, ità omnium philosophorum consensus in re aliquâ naturali est sufficiens regula ad sentiendum id quod ipsi judicarunt. Si verò authoritas sit unius vel alterius philosophi, attendendum potius ad rationes quas affert, quam ad ejus authoritatem; Ut enim inquit Seneca epis: 45: Multum magnorum virorum judicio credo, sed non me cuiquam emancipavi: Et S. Aug: epist: 19. ad S. Hieronimum: Solis scripturarum libris qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum authorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam, alios autem ità lego ut quantâlibet sanctitate doctrinâque polleant non ideò verum putem quià ipsi ità senserunt vel scripserunt.

18. Dico tertio: Illud Peripateticum quod omnibus videtur verum est, esse optimum veritatis Criterium. Quod intelligendum est: 1: de consensu communi omnium hominum præsertim sapientum: 2: de judicio firmo ac stabili, non de vulgaribus quibusdam persuasionibus, de quibus multi incerti sunt: 3: de persuasione non brevis temporis sed diuturnâ. Ratio conclusionis petitur ex Cic: 1: Tuscul: Omni in re omnium gentium consensio lex naturæ putanda est: et 1. de naturâ Deorum: neminem omnes, et nemo omnes unquam fefellit.

19. Hæc omnium hominum consensio potest esse tum circa quæstiones facti, ut aiunt, e: g: an extiterit Alexander, Cæsar, Pompeius &c: tum circa quæstiones juris e: g: an observandi sint Parentes, circa

quæstiones juris semper est infallibilis, quia putanda est tanquam lex naturæ, cui error subesse non potest. Circa quæstiones facti omnium hominum consensio certissimam etiam fidem facit, quia ut inquit S. Aug: non aliâ de causâ Cic: opera Ciceroni tribuuntur, quam quia omnes illa semper Ciceroni adscripserunt.

20. Non nego tamen, in quæstionibus facti omnium hominum consensum posse aliquandô esse falsum; sæpè enim homines in fide maiorum potius, quam rationis et experientiæ ductu unanimiter consentiunt quoad hoc, vel illud factum: Hinc licet opera Mercurii trismegisti, carmina sibillarum, et Zoroastis semper olim in pretio habita sint, et iis adscripta, tamen a Criticis recentioribus supposititia habentur quia plura continent, quæ illis temporibus convenire non possunt, quibus scripta esse dicuntur. Ad infringendam tamen, et enervandam diuturnam famam, et populorum consensionem gravissimæ et evidentes requiruntur causæ, quas sæpè non afferunt Critici recentiores præsertim Galli, nec sufficit argumentum negativum aut libido contradicendi veritatis inimica. Sic PP. Philippus Labbè et Gabriel Cossart cum de Concilio Sinuessæ coacto a S. Marcellino multa argumenta in contrarium attulissent, dicunt illis omnibus præferendam esse traditionem.

21. Dico 4. Ratio evidens quæ habeatur pro aliqua re, est certissima regula veritatis. Prob: Quia intellectus si habeat rationem evidentem, vel rapitur ad assensum, vel omninò huic rationi acquiescit. Sic veritates Geometricæ quæ evidenter ex primis principiis per demonstrationem inferuntur huiusmodi sunt ut intellectus omninò acquiescat, et nullam dubitationem habeat de opposito, quia ex vero nunquam potest legittimè sequi consequens falsum.

22. Dico 5: cum plurimæ sint res illæ naturales vel per se evidentes sint, vel ex principijs evidentibus inferuntur prudens regula veritatis est assentiri etiam ijs rebus, quæ habent rationem aliquam moraliter certam. Ratio est quia si evidentiam sensus in assensu quæreremus, consuetudo humana penitus tolleretur. Ne tamen in extimandis rationum momentis decipiamur, cavenda sunt vitia, quæ perstringit Horatius lib: 2. epis: 1.

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri.

23. Dico 6: Aliqua quamvis non omnis veritatis regula in testimonio sensuum constituenda est. Conclusio est contra Academicos qui nullam, contra Epicureos, qui omnem veritatis regulam in sensibus statuebant. Prob: prima pars ex illo Christi D: qui ut in fide Resurrectionis suæ Apostolos confirmaret usus est testimonio sensuum inquiens: Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet. Ergo Christus D: ex tactu et visu voluit Apostolos suos firmiter credere se a mortuis surrexisse. Secundo probari posset ex varijs Scripturæ locis, ex PP. auctoritate, et unanimi consensu hominum, qui illud verum esse affirmant; quod sensuum testimonio comprobatur. Prob: tertio, plures cognitiones habemus et plures res naturales cognoscimus inductione et experimentis, sed si nullum est testimonium sensuum, nulla esset inductio, nedum experimenta. Ergo si hæc admittenda sunt si his maxime innititur philosophia, aliqua veritatis nota sensibus tribuenda est.

24. Prob: conclusio quoad secundam partem contra Epicureos. Primo sensus non penetrant intimas rerum essentias, sed in externis rerum

accidentibus immutantur. 2. Si aliqua parvo discrimine inter se differant, sensus non possunt dignoscere; quare similitudo eos fallit. 3. Cum sensus res corporeas attingant per medium interiectum, si hoc diversimodè constituatur, necesse est ut vario modo res ipsæ corporeæ sensibus exhibeantur: Quod constat ex sideribus, quorum lux cum ad oculum pertingat per aerem tanquam per medium, si aer sit magis vel minus vaporibus repletus nunc rubicunda, nunc pallentia apparebunt ut de Luna inquit Virgilius:
Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.
4: Organa ipsa sensuum, in quibus recipiuntur imagines, non uno semper modo affecta sunt. 5: Plura corpora sensus ipsos fugiunt, cum microscopio quotidiè infinita v.g. animalcula detegantur, quæ omnem visus aciem fugerant: Ergo cum tot incommodis subiecti sint sensus, non potest ab illis desumi cum Epicureis omnis omninò notitia veri.
Quæ contra istam conclusionem obiici possunt, alias solvimus.

Articulus quartus.

Solvuntur obiectiones ex sacrâ Scripturâ.

25. Obiicies primo. Philosopho non est confugiendum ad authoritatem Divinam. Ergo authoritas Divina male statuitur pro regulâ veritatis rerum naturalium. Obiectio est Bernardi Lamij, et multorum ex Cartesianis qui dum premuntur argumentis desumptis a Fide, et Theologiâ nobis valuti in contemptum obiiciunt ad aras confugere. Resp: dis: ant: non est confugiendum ad authoritatem Divinam temerè, et in iis quæstionibus, de quibus nullum ab ipsa fundamentum est con: ant: in iis, in quibus est aliquod fundamentum ne: ant: et cons: Concedo quidem non temerè adhi=

berdam esse Divinam authoritatem in philosophia sed eam de
multis rebus naturalibus sermo sit in S. Scripturâ, in Concilijs, &c:
inspicuum est, a Catholico statui tanquam certam eam proposi=
tionem, quæ Fidei adversatur. A sacrâ Scripturâ certè docemur
mundum creatum esse in tempore, rationales animas esse immortales,
bruta vivere, terram stare, Solem moveri &c: in his quæstionibus
qui ad Divinam authoritatem confugiunt non irridendi sunt, sed
laudandi.

26. Obijcies secundo. Verbum Dei sæpè obscurum est; Ergo statui non
potest pro regulâ veritatis. R: con: ant: et ne: cons: Quamvis
Verbum Dei sæpè obscurum sit, tamen optimè statuitur pro re=
gula veritatis, quia ubi authoritas Divina non est clara per se
clara redditur per communem explicationem PP: et Ecclesiæ defi=
nitiones. Quando in aliquo loco S. Scripturæ hoc non adest con: af=
ferri non posse pro quæstione aliquâ confirmandâ.

27. Obijcies tertio. Authoritas Divina non est regula universalis verita=
tis, quia plurimæ veritates naturales revelatæ non sunt; Ergò
non benè statuitur pro criterio veritatis. R: con: ant: et
dis: consequens: Non benè statuitur pro omnibus rebus natura=
libus: con: cons: pro aliquibus, quæ revelatæ sunt ne: cons:

28. Instabis: Sed nullæ res naturales revelatæ sunt, imò revelatum est
nihil nos de rebus naturalibus scire; Ergò nunquam in philoso=
phiâ Divinam authoritatem adhibere possumus. Mi: subsump=
ta probatur. Eccl: cap: 1. v: 8: Cunctæ res difficiles, non po=
test eas homo explicare sermone, et v: 13: proposui in animo
meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt
sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum,

ut occuparentur in ea: et capi: 3: Cuncta fecit [Deus] bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem: Et capi: 8: Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub Sole, et quanto plus laboraverit ad quaerendum tanto minus inveniat: Etiamsi dixerit Sapiens se nosse, non poterit reperire: Ergo revelatum est nihil nos de rebus naturalibus scire; Ergo uti non possumus in rebus naturalibus Divinâ authoritate:

29. Re: ne: mi: subsumptam: Ad prob: multae de iis locis habentur explicationes videndae apud Cornelium a Lapide. Breviter sic intelliguntur, nos nimirum consequi non posse plenam, et perfectam cognitionem omnium operum Dei, sed licet de aliquibus aliqua certò cognoscamus, plura remanent cognoscenda, et praetereà de plurimis rebus naturalibus nihil certi invenimus. Deinde textus illi omnes contra Cartesium retorquentur. Si enim excludunt cognitionem rerum naturalium ex authoritate Divinâ multo magis excludunt cognitionem ex ideis claris, et distinctis. Igitur in iis locis nec excluditur cognitio aliqua certa de paucis rebus naturalibus, ut sunt veritates Geometricae, nec excluditur res aliquas naturales esse a Deo revelatas ut de creatione mundi &c. Atque adeò in ordine ad eas res, quae per Divinam authoritatem proponuntur illa est optimum veritatis criterium, quod omnes Catholici venerari debent.

30. Plura hic congeri possent circa Concilia, et definitiones Romanorum Pontificum, sed nimis philosophi partes excelleremus, et in messem alienam falcem immitteremus. Sufficit in praesenti

supponere, quae obijciuntur in hac materia opportunè solvi a Polemicis, adquos unicè spectat.

Disputatio tertia.

De identitate et distinctione.

Articulus primus.

Explicantur termini.

1. Ea tantum in ista quaestione breviter delibabo, quae utilitatem aliquam praeseferant, et digna sint, quae a vobis cognoscantur. Identitas idem est ac unitas: Distinctio idem est, ac pluralitas, seu multiplicitas. Unde cum dicimus hoc praedicatum <u>animal</u> in homine identificari cum alio praedicato <u>rationale</u> significat animal et rationale esse unam eandemque rem. Definiri solet identitas: Vera et mutua affirmabilitas unius de alio determinatè et in recto; Sed haec definitio cum importet multiplicitatem in illis verbis <u>unius de alio</u> potius obscurat, quam explicat conceptum identitatis. Distinctio definitur vera et mutua negabilitas unius de alio determinatè, et in recto.

2. Distinctio dividitur in realem, et rationis: Distinctio realis est illa, quae datur inter duas res v.g. inter Petrum et Paulum. Alia est adaequata, alia inadaequata. Distinctio realis adaequata est inter duo quorum utrumque habet rationem totius, ut Petrus, et Paulus: distinctio realis inadaequata est inter totum et partem ipsius ut inter animam Petri et ipsum Petrum. Signa distinctionis realis afferuntur tria: <u>1:</u> Separabilitas mutua, si enim duo invicem separentur invicem etiam distinguuntur. <u>2:</u> Relatio causae, et effectus; Cum enim nihil possit producere se ipsum saltem quoad primum esse sequitur, quod id, quod producitur, distinctum

ſit ab ea cauſa, quæ producit: 3: Capacitas ſuſcipiendi prædicata contradictoria: Et fundatur in illo principio idem non poteſse ſimul eſſe, et non eſſe.

3. Explico modò distinctionem rationis. Distinctio rationis seu formalis per intellectum habetur, cum idem obiectum repræsentatur intellectui ac si eſsent plura, quia duæ eiuſdem rei imagines ab intellectu formantur. Pingas e.g. Cæsarem bellantem per unam imaginem, et per aliam eundem Cæsarem ſcribentem. Idem eſt Cæsar in utrâque imagine, ſed tamen idem Cæsar ut repræsentatus uno modo distinguitur ab ipſo Cæsare ut repræsentato alio modo. Quare distinctio non eſt Cæsaris, et Cæsaris, ſed imaginum, et duarum rerum, in ordine ad quas illæ pinguntur. Sic duo dicuntur distingui per intellectum, licet distinctio non se teneat ex parte rerum, quæ cognoſcuntur, ſed ex parte imaginis intellectualis, qua res repræsentantur.

4. Distinctio rationis alia dicitur rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatæ. Prima habetur inter duos conceptus eiuſdem rei ità ut unus sit clarior, alter obſcurior. Hanc distinctionem dari dicunt inter istos duos conceptus hominis homo et animal rationale. Altera habetur inter duas cognitiones, quæ licet attingant idem realiter obiectum, illud tamen repræsentant in ordine ad diversas actiones, et connotata: Ut eſsent istæ duæ cognitiones circa hoc obiectum homo, animalitas, rationalitas, quæ licet realiter sint idem homo, tamen in ordine ad diversa connotata illum exhibent.

5. Distinctio rationis ratiocinatæ dicitur eſſe cum fundamento in re quatenus diversa illa connotata præbent fundamentum, ut par

duplicem cognitionem obiectum illud exhibeatur. Hoc fundamentum consistit in eo quod unum idemque obiectum æquivaleat pluribus obiectis, quod tribus modis contingere potest: 1. quia habet virtutem producendi effectus diversos et distinctos inter se. Sic anima æquivalet pluribus, quia potest producere cognitiones, et volitiones, qui actus sunt inter se distincti et diversi. Unde anima distinguitur dicitur in tres potentias et potentiæ ipsæ distingui dicuntur inter se per rationem: 2. Quia obiectum continet in se plures perfectiones, quæ in aliis obiectis inveniuntur distinctæ. Sic idem homo æquivalet brutis et Angelis, quia in ipso reperitur virtus sentiendi, quæ etiam est in brutis, et virtus intelligendi, quæ etiam est in Angelis: Unde distingui dicuntur per rationem in eodem homine potentia intellectiva et potentia sensitiva: 3. Quia respicit diversos terminos, obliqua et connotata diversa: Sic idem homo æquivalet pluribus, quia respectu unius, a quo producitur appellatur filius, respectu alterius, quem producit appellatur pater.

6. Cognitiones illæ, per quas unum idemque obiectum cognoscitur in ordine ad diversos vel effectus, vel perfectiones, vel connotata dicuntur præcisivæ, quia intellectus dum cognoscit hominem sub hoc conceptu animal, præscindit ab altera cognitione, qua sibi eundem hominem repræsentaret ut rationale. Hinc sequitur cum dicimus homo prout est animal, non est rationale in sensu reali falsam esse propositionem, in sensu formali esse veram, quia illa particula reduplicativa facit sensum reflexum supra diversas cognitiones, quibus idem homo cognoscitur, significat enim, homo cum cognoscitur sub hoc

conceptus animal non cognoscitur sub hoc conceptu rationale. Sunt vero illa prædicata, in quæ res aliqua beneficio huius distinctionis dividitur, dicuntur formalitates et gradus metaphysici, quia sunt ea veluti gradus ad perfectam rei cognitionem ascendit intellectus.

Articulus secundus.

Exponitur et reiicitur distinctio formalis ex natura rei Scotistarum.

7. Scotistæ distinctionem realem, et rationis, quas explicavimus, utique admittunt. Aliud genus distinctionis in scolas invexerunt, quam appellant formalem ex naturâ rei. Formalem vocant non quià habeatur per intellectum sed quià intercedit inter formalitates, seu gradus metaphysicos eiusdem rei. Volunt hanc distinctionem esse mediam inter distinctionem realem, et rationis, et præterea conjungi cum identitate reali ita ut animalitas et rationalitas in homine realiter quidem identificentur, sed tamen distinguantur inter se eo genere distinctionis, quæ non pendeat ab ulla operatione intellectus.

8. Dicunt igitur Scotistæ, formalitates neque esse propriè res, ut sunt substantiæ et accidentia neque tamen esse nihil, sed quid medium inter rem et nihil. Atque adeò distinctio inter illas est minor distinctione reali, quià non versatur inter duas res, et est maior distinctione rationis, quià non pendet ab intellectu.

9. Hæc est Scotistarum distinctio, quæ ab aliis communiter reiicitur 1. quià nulla est efficax ratio, qua admittatur. 2. quia si animalitas distingueretur ex naturâ rei a rationalitate, distingueretur etiam ex natura rei a se ipsâ; si enim animalitas distinguitur

quià homo ꝑ animalitatẽ convenit cum equo, et per ratio=
nalitatem disconvenit, et quià diversâ definitione definitur, etiã
in ipsâ animalitate aliquid reperitur, per quod convenit cum alijs
rebus, aliquid per quod disconvenit, et prętereà diverso modo defi=
niri potest. Qd si animalitas a se ipsa distinguitur, jam proce=
dimus in infinitum. Sed hęc alterius inquirere non vacat.

Articulus tertius.

Exponitur, et rejicitur distinctio virtualis intrinseca Thomistarum, et precisio obiectiva.

10. Aliam distinctionis speciem invenerunt Thomistę, quam vocant vir=
tualem intrinsecam. Hęc autem est per illos virtus intrinseca rebus
suscipiendi prędicata contradictoria sine ullâ verâ distinctione in
rebus ipsis. Volunt enim rem omninò eandem posse ità equivalere
pluribus, ut virtutem habeat suscipiendi hęc prędicata eo modo
quo res distinctę suscipere possunt. Hanc distinctionem probant
ex Divinis, et deinde illam inferunt in creatis.

11. Communiter tamen a Divinis pręscindimus, et in creatis rejicimus.
1: quià nulla est necessitas illam admittendi. secundò quià
si res aliqua creata haberet virtutem suscipiendi aliqua prędi=
cata contradictoria, haberet virtutem suscipiendi omnia, adeòque
etiam ista esse, et non esse. Et sic ruerent omnia prima prin=
cipia, et scientię omnes, quę illis innituntur. Dicunt actum Con=
tritionis suscipere hęc prędicata, quià de illo dicitur, quod
sit amare et non amare. Rs: ne: suppositum. Cum enim
illa duo dicantur respectu diversi obiecti non sunt contradictoria:
Actus Contritionis prout refertur ad Deum est amor, prout
refertur ad peccatum est odium; Ergò in eo actu nulla est virtus

suscipiendi prædicata contradictoria.

Præcisio obiectiva est actus nostri intellectus, per quem ex duobus prædicatis, quæ realiter et virtualiter identificantur unum cognoscit, alterum non cognoscit, ex parte obiecti. Vocari solet etiam distinctio virtualis extrinseca. Dicunt igitur, cum aliquem videmus a longè se moventem, qui a parte rei sit homo, non cognosci a nobis totum hominem sed solum animal, atque ità ex parte obiecti unum prædicatum ab alio præscindere. Communiter reiicitur, quia præcisio illa solum se tenet ex parte cognitionis, quæ non cognoscit quidquid de re aliqua cognosci potest. Sed hæc de distinctionibus sint satis.

Disputatio quarta.

De universalibus.

Articulus primus.

Referuntur sententiæ.

1. Universalis nomine illud intelligimus, quod unum est sed multis commune. Sicuti singulare vel individuum dicimus illud, quod uni convenit et de multis prædicari non potest. Causa, quæ producit multos effectus dicitur universalis in causando, imago quæ multa repræsentat dicitur universalis in repræsentando, natura quæ multis inest dicitur universalis in essendo, et hoc ultimum est universale metaphysicum de quo est præsens disputatio. Definitur ex Arist: unum aptum esse in multis, quod intelligitur esse in multis per identitatem, in quibus realiter multiplicatur. Hinc est, quod natura Divina licet sit realiter per identitatem in tribus personis, tamen universalis non est, quia non realiter multiplicatur, sed manet una simplicissima natura.

2. Duo sunt constitutiva universalis unitas, et multiplicitas. Multi=
plicitatem alicuius naturæ dari a parte rei certum est, sicuti cer=
tum est dari plures homines. Quæritur utrum a parte rei sit unitas,
seu natura quædam communis et universalis, quæ in singularibus
multiplicatur ità et natura humana, quæ est realiter multipli=
cata in pluribus hominibus sit una per identitatem in omnibus,
et constituat universale in rebus ipsis.

3. Dicunt Platonem admisisse naturas quasdam universales separatas
a singularibus extra Deum quæ ideæ Platonicæ vocitantur. Sed falsò
hæc sententia Divino philosopho tribuitur nec enim Plotinus, Por=
phyrius, Proclus, aliique Platonici de huiusmodi simulacris extra
Deum positis mentionem faciunt, et ipse Plato in Timæo, et
in duobus dialogis disertè docet mundum à Deo conditum fuisse
cum voluit, iuxta exemplar quod mente conceperat. Si autem
Aris: has ideas Platoni tribuisse dicatur, vel hoc negamus, quià
nullus afferri potest ex Aris:o locus, ubi ideas et universales naturas
extra Deum positas admisisse Platonem apertè doceat, quin po=
tius in libro magnorum Moralium dicit *Platonis sententia fortè
vera est*: Vel cum P. Vasquez dicendum, quod Aris: aut Plato=
nem non intellexit, aut ipsum malignè est interpretatus, ut liberius
impugnaret.

4. Igitur sententia Platonis est universale nihil aliud esse, quam ideam
Divinam. Idea autem est exemplar, quod artifex intuetur,
cum aliquid efficit. Deus itaque cum mundum condidit inquit
S. Aug: lib: 12. de Civit: cap: 20. *respexit ad æternum illud,
et immortale rerum omnium factibilium exemplar, quod in eius
mente præexistebat*. Hoc exemplar seu idea in creatis potest

sive interna vel externa. Interna erit, cum pictor e.g: colores in tabulâ disponit iuxta eam formam, quam mente concepit: Externa, cum idem pictor exprimit vultum hominis coloribus et lineamentis respiciendo illum, cuius effigiem parat. Idea interna, quae est principalis quaedam forma et ratio rei faciendae, Archetypa: Idea externa quae ex aliâ ideâ ducitur, Ectypa nominatur. Jam verò ideae illae Divinae sunt formae Archetypae, seu primae rerum omnium causae effectrices, et exemplares, quarum participatione rerum naturae prodierunt. Haec de universali Platonico, quod si ità explicetur, caret omni difficultate. Sed quaestio est de universali in rebus extra Deum positis.

5. Stoici, et Nominales nullum aliud universale agnoscunt nisi voces, et conceptus mentis. Dicunt enim hanc vocem homo esse quid universale, quià plures homines significat, et conceptum nostrae mentis repraesentantem illam vocem esse etiam quid universale, quià omnes homines repraesentat. Impugnantur, quià universale definitur: unum aptum esse in multis, aut praedicari de multis; sed voces aut conceptus nec sunt in multis, nec de multis praedicantur. Ergò non sunt illud universale, quod quaerimus. Mi: prob: Quià cum dicimus de homine animal rationale non significamus vocem illam esse animal rationale sed rem significatam per vocem, et expressam per conceptum homo.

6. Scotistae, sicuti admittunt distinctionem formalem ex naturâ rei inter gradus metaphysicos, et dicunt, naturam humanam ex naturâ rei distingui ab individuatione, et singularitate, ità beneficio huius distinctionis putant haberi a parte rei unitatem sufficientem ad universale, quià natura humana, quae est in Petro, Paulo &c

ex una parte est una quia distinguitur a singularitatibus, ex alia parte est multiplex quia realiter identificatur cum ipsis singularibus, in quibus multiplicatur: atque ita constituunt universale in rebus non quidem separatum a singularibus, ut de Platone fingitur, sed in ipsis existens prout distinctum ab eorum singularitate. Sed cum hæc sententia supponat distinctionem ex naturâ rei, quam reiecimus, ideò hanc explicationem universalis a parte rei non admittimus.

7. Sententias aliorum, qui vellent unitatem requisitam ad universale esse in rebus ipsis, videre est apud auctores. Nostra sententia est cum multis recentioribus, universale non esse in rebus, sed in nostra cognitione, ità ut plures homines fiant unum per cognitionem, quatenus intellectus attingit in ipsis singularibus id, quod est pluribus commune. Attingit e.g: intellectus in pluribus hominibus naturam humanam, quam cum videat omnibus æquè esse communem, cognoscit omnes homines sub hoc uno conceptu homo. Itaque à nostra cognitione tantum pendet universale.

8. Hinc explicatur quomodò intelligi debeat, scientias versari circa universalia nimirùm scientiæ ità versantur circa res singulares, ut non considerant in illis id, quod est proprium singularium, sed id, quod præbet intellectui fundamentum, ut plura concipiat per modum unius. Sic Geometria ità versatur circa hunc circulum in particulari, ut abstrahat ab illo quidquid est particulare et solum consideret pro ut circulus est figura plana, et rotunda.

9. Septem porrò sunt, quæ rem aliquam individuam reddunt, ac singularem, et continentur hoc versiculo:
Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

a quibus si abstrahat intellectus rem non amplius ut singularem, sed ut universalem considerat.

10. Multiplicitas, quæ requiritur in universali, dicitur materia: unitas dicitur forma, materia datur a parte rei, forma per intellectum. Cum autem denominatio desumatur a forma, non a materia, hinc absolutè dicitur, dari universale per intellectum, non vero in rebus.

Articulus secundus.

11. De universalibus in particulari.
Quas res tanquam universales concipimus ea in quinque classes dividuntur, et sunt genus, species, differentia, proprium, et accidens, quæ quinque prædicabilia communiter appellantur. Hæc doctrina invecta est in scholas a Porphyrio. Porphyrius fuit natione Iudæus Tyro oriundus Christianæ religioni nomen dedit, sed ab ea posteà descivit turpissimè, professione fuit philosophus secta Platonicus, Plotini discipulus, Origenis condiscipulus, infensissimus Aristoteli, et Catholicæ religioni vixit circa Diocletiani tempora. Rogatus a Chrysaorio adolescente Romano, ut librum Aristotelis, qui de Cathegoriis, seu de decem prædicamentis inscribitur interpretari ne gravaretur libellum ei misit, quem Isagogen inscripsit, seu introductionem, in quo hæc quinque universalia ab omnibus admissa continentur.

12. Genus definitur unum prædicabile de multis differentibus specie. Sic animal est genus, quia prædicatur de homine, leone, equo &c. qui specie differunt inter se. Dividitur in supremum, infimum, et intermedium. Genus supremum est substantia vel potius ens, quia non habet aliud genus supra se; Unde dicitur etiam genus

generalissimum. Genus infimum est animal, quia nullum aliud genus sub se complectitur sed solum species. Genus intermedium est vivens, quia habet aliud genus supra se, nempè corpus, et aliud genus infra se nempe animal.


13. Species definitur id quod de pluribus differentibus numero prędicatur. Sic homo dicitur species, quia prędicatur de Petro, Paulo &c: qui solo numero differunt inter se. Dividitur in subalternam, et infimam, seu atomam. Species subalterna est illa, quę ita est species, ut sit etiam genus. Sic animal si consideratur respectu viventis, est species, vivens enim dividitur in corporeum, et incorporeum tanquam in duas species: si consideratur respectu hominis et bruti est genus. Species infima est illa, quę immediatè dividitur in singularia seu individua, ut homo; Adeòque nullam habet rationem generis. Porrò ea dicuntur differre specie, quę differunt in aliquo prędicato essentiali: Quę verò hanc differentiam non habent, solo numero differunt. Cardi: Pallavi: Cardi: de Lugo et P. Aversa ea dicunt differre specie, quę notabiliter differunt judicio prudentum, quâ sententiâ uti solemus ad judicandum utrum vinum servet rationem vini validi ad consecrationem, an transiverit in acetum.

14. Differentia est id quo unum ab alio differt, seu est id quod prędicatur de multis specie vel numero differentibus. Sic Petrus differt specie a leone, differt a Paulo. Pluribus modis aliquid ab alio differre potest, 1: per accidentia separabilia ut homo ęgrotans, et homo sanus: 2: per accidentia, quę naturaliter separari non possunt ut per lucem ignis differt ab aqua: 3: per essentiam, ut rationalitas est propriissima differentia hominis a bruto et hęc differentia pręcipuè pertinet ad tertium prędicabile Porphyrii.

25. Proprium quatuor modis Porphyrius accipit: 1: quod convenit soli speciei, sed non omnibus, ut esse doctum convenit soli homini, sed non omnibus: 2: quod convenit omni speciei sed non soli, ut homini esse bipedem: 3: quod convenit soli speciei et omnibus individuis, sed non semper, ut homini esse actu loquentem: 4: quod convenit soli speciei omni et semper ut homini esse admirativum. et proprium hoc modo usurpatum est quartum praedicabile Porphyrij.

26. Accidens est id, quod potest esse, et abesse sine subiecti destructione. sic pallor, aut rubor in vultu est illius accidens. Jam verò accidens vel afficit extrinsecè subiectum, vel intrinsecè est ei unionem. Primum parit denominationem extrinsecam, ut paries dicitur visus per visionem, quae est in homine, non in pariete: Secundum triplici modo usurpatur; Primo prout opponitur essentiae rei, et sic complectitur omnia, quae essentiam non constituunt, et in hoc sensu risibile in homine dicitur accidens: Secundo prout opponitur rebus necessarijs, et sic omnia contingentia dicuntur accidentia: Tertio prout opponitur substantiae, quia non potest per se subsistere, sed indiget univi alteri, et dicitur accidens physicum, ut pallor, rubor &c:

27. Accidens physicum duplex est modale, et absolutum. Modale illud est, quod neque divinitus separari potest à suo subiecto ut motus, figura, actio &c: Absolutum, quod separari divinitus potest, non tamen naturaliter ut quantitas, impetus v: g: lapidi impressus, calor fortassè et lux &c: Quae accidentia probabimus in physicâ praesertim ex augustissimo Eucharistiae Sacramento: Accidens non benè explicatur per hoc, quod naturaliter non possit esse sine subiecto,



Gottifredo di Blessi Sculp.

Nam formæ substantiales naturaliter petunt subiecto inhærere, et tamen non sunt accidentia: Explicandum potius est, quod accidens non sit pars rei, cuius dicitur accidens, sed illi adveniat accidentaliter, ità ut res possit esse eadem etiàm ex non manentibus accidentibus.

18. Hæc est doctrina, quam vulgavit Porphyrius, et clarius exhiberi solet in subiecto Schemate, quod arbor Porphyriana dicitur, in quâ disponuntur genera, nimirum substantia, corpus, vivens, animal, et species generum, et differentiæ, substantia enim dividitur in duas species corpoream et incorpoream, corpus dividitur in animatum et inanimatum &c., donec descendatur ad individuum, quod de nullo alio prædicari potest, nempè Petrus. Hac occasione quæstiones plurimæ tradi solent, an detur species immultiplicabilis, an ens præscindat à differentiis, et differentiæ ab ente &c. quas omittimus, ne in tantâ temporis inopiâ utiliora negligamus.

Articulus tertius.

De prædicamentis, seu Cathegoriis Aristotelis et recentiorum.

19. Aristoteles primam dialecticæ partem complexus est lib: quem de Cathegoriis inscripsit, quamvis librum hunc Architæ Tarentino tribuant aliqui. Categoria accusationem propriè latinè significat, sed hoc nomen translatum est ad significandas certas classes, in quas res omnes dividuntur ad hunc finem, ut omnis cognitionum nostrarum confusio evitetur. Boetius tractatum hunc de decem prædicamentis inscripsit, et Quintilianus hanc rerum seriem Elementa appellavit.

20. Decem igitur Categorias vel Architas vel Aristoteles excogitavit. Comprehenduntur duobus hisce versiculis:

1. 2. 3. 4. 5. 6.
Arbor sex natos ardore refrigerat ustos

7. 8. 9. 10.
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.

Arbor significat substantiam, sex quantitatem, natos relationem, ardore qualitatem, refrigerat actionem, ustos passionem, ruri locum, cras tempus, stabo situm, tunicatus habitum. Et sic hae omnes Categoriae respondent omnibus interrogationibus, quae circa rem aliquam ab homine quantumvis curioso fieri possint. De Caesare e.g. quaeri potest quid sit, et respondemus esse hominem; quantus sit, et respondemus altum septem palmis; cuius sit, respondemus filium Caii Caesaris; qualis sit, natura iracundae; quid agat, scribit; quid patiatur, morbo laborat; ubi sit, Romae; quo tempore, anno UC: 710: quo situ, sedet in senatu; quo habitu, ornatus paludamento.

21. Recentiores philosophi res omnes ad septem classes revocant, et septem Categorias ponunt his versiculis inclusas:
1. 2. 3. 4. 5. 6.
Mens, mensura, quies, motus, positura, figura
7.
Sunt cum materiâ cunctarum exordia rerum.
Nomine mentis intelligunt substantiam spiritualem, qualis est Deus, Angeli, anima rationalis: Mensura significat extensionem in partes, et res corporeas: Quies permanentiam corporis in loco in quo reperitur: Motus transitum corporis ex uno loco in alium. Positura partium ordinem, seu texturam et dispositionem intimam, quae variari non potest, quin eadem substantia varietur: Figura externam partium dispositionem, quae variari potest salva rei substantia: Materia corpoream substantiam. Res autem ad septem classes revocarunt, quia in decem Categoriis Aristotelis aliqua contineri putant,

quæ non ad vera entium genera, sed ad solas denominationes extrin=
secas pertineant.

22. Hoc tamen nihil probat, quia cum decem illæ Categoriæ omni=
bus interrogationibus respondeant, quæ de singulis rebus fieri
possunt, sufficit, ut retinendus sit earum numerus cum anti=
quis. Quod autem a recentioribus ex illa ratione imminuatur
numerus, hæc videtur esse potius insana libido contradicendi, quam
voluntas quærendi verum, an non imminuere possemus gradus,
in quos dividitur circulus, menses, in quos dividitur annus? Quis
tamen hoc audeat? Scilicet hæc reverentia antiquis philosophis
esse exhibenda, ut licet ex eorum arbitrio steterit, quod decem Ca=
tegorias constituerint, circulum in 360: gradus diviserint, annum
in duodecim menses, immutari non debeat, quia ingeniis novitatis
amatoribus non placeat.

23. Sed ut singulas Categorias, seu prædicamenta explicemus, substantia
dicitur vel a subsistendo, vel a substando. In primo sensu intelligi=
tur id, quod per se subsistit, nec indiget esse in alio, ut Deus, Angelus,
homo, arbor &c: in secundo sensu intelligitur id, quod substat acci=
dentibus, quæ in substantiā tanquam in subiecto naturaliter reci=
piuntur. Inter sex proprietates substantiæ, quas recenset Arist: duæ
sunt præcipuæ: Prima substantia non suscipit magis, et minus, nec
enim de aliquo dici potest est magis homo, aut magis corpus. Se=
cundo substantiæ nihil est contrarium. Quia contraria dicuntur
illa, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellunt, neque possunt
esse simul in illo. Cum autem substantia non sit in subiecto contra=
rium non habet. Si ergo aqua dicitur contraria igni, hoc oritur
non ratione sui, sed accidentium, aut qualitatum, quas continet.

24. Cętera novem prędicamenta inter accidentia numerantur quantitas vulgò accipitur pro extensione in partes; sed sicuti usurpare illam solemus de pluribus nempè de perfectione, de magnitudine, multitudine, extensione, ità propriè definiri non potest, antequam dividatur.

Dividitur itaque in continuam, et discretam. Quantitas continua est illa, cuius partes invicem coniunctę sunt, ut tabula, in quâ partes omnes simul conjunguntur. Rursus quantitas continua alia est successiva, alia permanens. Successiva vocatur illa, cuius una pars alteri succedit perpetuo quodam fluxu, ut motus et tempus. Hinc apud Mathematicos ea dicitur quantitas motus in aliqua pilâ incendiariâ, quę resultat ex velocitate corporis multiplicata per molem, seu pondus eiusdem: et ea dicitur quantitas temporis quam impendit corpus aliquot celeste in percurrendâ suâ orbitâ. Quantitas permanens est illa, cuius partes simul existunt et ex Euclide ad tres classes revocatur, ad lineam, ad superficiem, ad corpus seu solidum. Linea dicitur cuius partes in longum tantùm extenduntur, superficies cuius partes in longum, et latum, corpus, cuius partes in longum, latum, et profundum. Prescindo in presenti an hęc sit essentia corporis, quam statuunt Mathematici, an alia.

25. Quantitas discreta est illa, cuius partes nullo communi vinculo connectuntur ut numeri inter quos nulla unio intercedit. Numerus ab Euclide definitur multitudo mensurata per unitates: Multitudo dicitur, quià unitas non facit numerum, sed est principium numeri: dicitur mensurata per unitates, quià quaternarius ab unitate quater repetita efficitur. Veteres presertim Platonici

magnam vim in numeris reponebant, sed fortasse ut constat ex Sic: in somnio Scipionis pro numero intelligebant partium proportionem iuxta illud Sapientiæ: Omnia constituit Deus in numero pondere, et mensura. De quantitate plurimus usus est in Mathematicis, ubi agitur de proportionibus.

26. Relatio est respectus, ordo, habitudo unius ad aliud. Sic Pater refertur ad filium, servus ad dominum, quæ licet claræ intelligantur, multis quæstionibus in Logica involvi solent, quas persequi non vacat.

27. Qualitas prout pertinet ad hoc prædicamentum est forma quædam et accidens, per quod subiectum determinatur in esse tale. Sic ardor est qualitas, per quam aqua determinatur in esse calida. Multæ dicuntur qualitates a Peripateticis, ut raritas, densitas, asperitas, levitas, fluiditas, durities &c: de quibus erit sermo in Physica.

28. Actio est illud formale exercitium per quod causa denominatur agens et producens effectum, sic calefactio dicitur actio ignis, descensus gravium per lineam perpendicularem dicitur actio eorundem gravium. Actionem alibi diximus dividi in immanentem, et transeuntem.

29. Passio est ipsa susceptio effectus producti a causâ. Sic lux ut a Sole egreditur, dicitur actio Solis, ut in aere recipitur dicitur passio aeris.

30. Locus est illa forma per quam res dicitur esse potius in uno loco quam in alio. Hanc autem formam ubicationem vocant. Duplici modo potest aliqua substantia esse in loco 1: circumscriptivè: 2: definitivè. Circumscriptive corpus aliquod est

in loco cum totum corpus est in toto loco et singulæ partes in singulis partibus loci. Definitivè dicitur aliqua substantia esse in loco cum tota est in toto loco, et tota in singulis partibus loci, quomodo anima rationalis est in humano corpore, et corpus Christi D: in Eucharistiâ.

31. Tempus est duratio, quæ est illa forma, per quam res potius est uno tempore, quam alio. quærenti enim quo tempore excitavit Augustus Cæsar respondemus an: U.C. Situs est dispositio partium in loco: sic dicimus aliquem stare vel ambulare. Ad situm pertinere potest figura, quæ est dispositio partium externa. Nam in machinis, de quibus agitur in Mechanicâ multum valet hæc dispositio. Abitus denique pertinet ad illud, quod corpori circumponitur ut vestes, arma &c:

32. Hæc de Categoriis, et prædicamentis Artis: de quorum multis in physica erit sermo. De his multæ in Logica tradi solent quæstiones, quæ si dignæ videantur quæ a vobis cognoscantur, apud auctores Peripateticos videre licebit.

33. Omittendum non videbitur, Epicurum res omnes in duas classes divisisse nempè in substantiam, et accidens: Duplex etiam statuisse genus accidentium 1: inseparabile a materiâ, quod vocat conjunctum, quia materiæ inhæreat: 2. separabile, quod vocat eventum, quià non solum inhæret, sed etiam accidit. Hanc Epicuri doctrinam Lucretius exposuit lib: 1. qui postquam docuit res omnes componi ex materia, et inani.

Omnis ut est igitur per se natura duabus
Consistit rebus quæ corpora sunt et inane
Ut explicat accidentia diversa hæc habet.

Nam quæcunque fluent aut his coniuncta duabus
Rebus ea invenies aut horum eventa videbis.
Coniunctum est id quod nunquam sine perniciali
Dissidio potis est seiungi seque gregari.
Pondus uti saxis calor ignibus liquor aquai
Servitium contra libertas, divitiæque
Paupertas, bellum, concordia, cætera quorum
Adventu manet incolumis natura abitque,
Hæc soliti sumus ut par est eventa vocare.

Logicæ pars secunda.

De iis, quæ pertinent ad secundam operationem intellectus.

Disputatio unica.

De iudicii naturâ et veritate.

Articulus primus.

Quid sit iudicium.

1. Iudicium considerari potest ut interna operatio intellectus, et Iudicium propriè vocatur, et ut hanc internam operationem externè per voces significamus, et dici solet enunciatio, propositio, interpretatio. De hac externa operatione, quæ ad voces pertinet satis multa diximus in summulis. Quod pertinet ad iudicium ipsum, quæritur an sit actus simplex nostri intellectus, an potius compositus. Iudicium est secunda operatio mentis nostræ, per quam aliquos terminos comparat, et illos vel per affirmationem coniungit, vel per negationem seiungit. Proponuntur intellectui hi duo termini, corpus extensio: Intellectus eos inter se comparat et videns unum alii convenire hanc eorum terminorum coniunctionem exprimit per iudicium affirmativum dicens corpus est extensio.

2. Hoc iudicium volunt aliqui esse actum compositum ex duabus apprehensionibus subiecti et prædicati. Alii contendunt esse unum, et simplicem actum positum in assensu vel dissensu, qui sequitur ad comparationem subiecti cum prædicato. Sit nostra conclusio. Iudicium est simplex actus nostræ mentis, neque componitur ex multiplici perceptione. Prob: Iudicium est assensus, vel dissensus intellectus nostri comparantis terminos, et eos vel coniungentis per affirmationem, vel disiungentis per negationem; sed huiusmodi

aſſenſus, vel diſſenſus eſt actus simplex; Ergò iudicium eſt simplex actus, non compoſitus. Ma: eſt definitio iudicij. Prob: mi: Poſſunt haberi multiplices illæ perceptiones subiecti, et prædicati, quin habeatur ullum iudicium et ullus aſſenſus; Ergo iudicium non conſtituitur ex illa multiplici perceptione, Ergo eſt simplex actus. Anſ: conſtat primo in hac propoſitione: Stellæ sunt numero pares, in qua intellectus percipit subiectum et prædicatum, et tamen nullum ferre poteſt iudicium. Conſtat secundo in hac propoſitione hæretica: Chriſtus eſt una natura, quam audiens Catholicus habet in mente perceptionem subiecti, et prædicati, et mutuam eorum identitatem ab hæretico affirmatam, et tamen nullum ipse iudicium fert, quia nunquam aſſenſum præbet hæreticæ propoſitioni; Ergo iudicium unicè conſiſtit in illo aſſenſu, qui sequitur ad comparationem terminorum.

3. Confirmatur. Actus intellectus per quandam analogiam comparantur motui locali. Sed motus localis secundum se conſideratus eſt simplex non compoſitus, quamvis in eo conſiderare poſſimus quoſdā veluti modos, nimirum an sit tardus an velox an per lineā rectā an per circularem, ità actus intellectus, et iudicium eſt simplex quamvis diverſos modos habere poſſit dum tendit in obiectum, quod sibi repræſentat per aſſenſum nempè, aut per diſſenſum.

4. Obijcies primo. Iudicium haberi non poteſt sine perceptione terminorum, Ergo perceptiones iſtæ iudicium conſtituunt; Ergo non eſt simplex actus. R. con: anſ: et ne: conſ: argumentum in pluribus retorquetur; Ad amorem e:g: requiritur cognitio obiecti, et tamen cognitio non conſtituit amorem. Diſtinguendum eſt utrum id quod requiri dicitur, requiratur tanquam conditio

præsupposita, an tanquam pars. Perceptiones terminorum præsuppo=
nuntur ad iudicium, dum intellectus eos comparat inter se, et
vel affirmando componit, vel negando dividit, sed non componunt
iudicium ipsum, quod unicè constituitur in assensu, vel dissensu.
Etiam ut causam apud iudicem tenere dicamur, multæ quæstiones,
volumina multa requiruntur, sed litis victoria in una sententia iu=
dicis posita est.

5. Instabis primo. Iudicium ab Arte: vocatur compositio; Ergo est
actus compositus. R: dis: ant: vocatur compositio, quia compositionem
quamdam repræsentat con: ant: quia ex multis perceptionibus
componitur, ne: ant: et cons: Instabis secundo unaquæque res fit
ex sua materia. Perceptiones terminorum sunt materia iudicij;
Ergo ex illis componitur. R. con: ma: et dis: mi: sunt materia
iudicij circa quam versatur, con: mi: ex qua componitur ne: mi:
et cons: Iudicium versatur quidem circa coniunctionem, aut disiun=
ctionem terminorum, quos percipit, sed solum consistit in eo as=
sensu, per quem affirmat terminos coniungi. Obiecta etiam vel
necessaria vel contingentia dicuntur materia iudicij: Quis tamen
dicat obiecta huiusmodi iudicium componere; Ergo a pari ap=
rehensiones illæ non constituunt iudicium.

6. Obijcies secundo: Iudicium humanum differre debet ab iudicio Angelorum;
Sed iudicium Angelorum est omnino simplex; Ergo compositum debet
esse iudicium hominum. R: in multis differre iudicium Angeli,
et hominis, præsertim in eo, quod iudicium Angeli semper cum
veritate et cum evidentiâ coniungitur, iudicium hominis falsum
sæpè est, et inceptis rationibus innititur. Non tamen necesse est,
ut differant in eo, quod unum sit simplex, alterum compositum.

7. Propositio exterior est aliquid compositum ex terminis. Ergo propositio interior, quæ est iudicium, est aliquid compositum ex pluribus perceptionibus. Rx. con: ant: et ne: cons: Propositio interior unicè consistit in assensu vel dissensu, sed necessario ille externè exprimitur pluribus vocabulis. Unde intellectus sibi ipsi per unicum actum repræsentat coniunctionem vel disiunctionem terminorum, aliis verò per plura vocabula. Nec novum est, quod quæ per unicum actum nos internè concipimus, per plures actus aliis significemus. Instabis: Propositio interior est similis propositioni externæ; Externa est composita, ergo etiam interna. Rx. dis: ma: est similis quoad repræsentationem con: ma: similis quoad entitatem, ne: ma: et concessa minori ne: cons: de facto propositio interior, quæ dicitur verbum mentis est aliquid spirituale, propositio externa, quæ dicitur verbum oris est aliquid materiale, et corporeum; unde solemus dicere verbum mentis esse longè simplicius verbo oris, quamvis eadem repræsentent.

Articulus secundus.

De veritate propositionum.

8. ~~A~~ Iudicii interni, et enunciationis externæ præcipua laus est, ut vera cogitet, vera enunciet. Veritas alia est rei, alia cognitionis, alia locutionis. Veritas rei, quæ transcendentalis appellatur, eadem est ac eius essentia; Nam ut inquit Artes: unaquæque res ut se habet ~~[illegible]~~ esse, ità se habet ad veritatem, quia cognosci potest et esse obiectum intellectus, hæc veritas, quæ etiam dici solet, veritas in essendo non habet oppositam falsitatem sicuti non habet oppositam essentiam; Quamvis enim aurichalcum dicatur aurum falsum; non ideò est, quia non sit aliquid verum, sed quia speciem

auri qualis subicit cum aurum non sit. Veritas cognitionis, quæ dicitur formalis prædicamentalis, et veritas in repræsentando est conformitas cognitionis cum re cognita. Quia cum omnis cognitio sit imago quædam intentionalis obiecti, sicut imago materialis dicitur vera, quia obiectum suum repræsentat, sic imago intentionalis vera dicitur, si obiectum ita se habeat cum cognoscitur. Veritas locutionis est conformitas sermonis cum mente cui veritati opponitur mendacium. Ubi notandum veritatem locutionis non esse in eo positam, ut conformetur cum re, sed solum cum mente. Si enim ego putans Petrum esse domi qui tamen non sit, non dicor mendax cum affirmo esse domi. Ex his constat nullam falsitatem esse in rebus, sed solum in intellectu, et in locutione, quia vel intellectus non repræsentant res, ut sunt in se, vel voces rem non significant ut est in mente.

9\. Quærimus in præsenti in quo consistat veritas formalis propositionis, seu quæ sit illa forma, per quam denominatur vera aliqua propositio. Non quærimus de illa veritate, per quam propositio externa conformatur interno mentis conceptui, quæ proprie veracitas est, sed de illa veritate per quam propositio dicitur vera in repræsentando. Docent aliqui veritatem huiusmodi consistere in conformitate cum scientia et cognitione Divinâ; sed reiicitur paritate eiusdem cognitionis Divinæ, quæ non potest esse vera per conformitatem cum se ipsa. conformitas enim est ad aliud.

10\. Sit igitur nostra conclusio cum communiore sententia: Veritas formalis propositionis est conformitas cum obiecto enunciato. Prob: Propositio est imago intentionalis obiecti, sed veritas omnis imaginis consistit in conformitate cum obiecto; Ergo &c: Prob: secundo quæ=

authoritate Aristotelis: eo quod res est vel non est, propositio vera vel falsa dicitur: Et Epicuri: verum est, quod ita se habet ut se habere dicitur falsum est, quod non ita se habet ut se habere dicitur; Ergo ex sola conformitate cum obiecto vera denominatur propositio. Praeterea experientia constat cum dubitamus, utrum aliqua propositio sit vera an falsa, statim obiectum ipsum consulimus, an sit eo modo, quo dicitur.

21. Obijcies primo. Omnis propositio conformis Divinae scientiae vera est, Ergo veritas desumenda est ex conformitate cum scientia Divina. Confir: hanc propositionem: Deus est unus in natura, trinus in personis, veram esse judicamus, quia est conformis scientiae Divinae nobis manifestatae per revelationem; Non enim possumus immediate conferre cum obiecto; Ergo saltem aliqua propositio vera est per conformitatem cum scientiâ Divinâ. R: Dis: ans: vera est extrinsecè et arguitivè per conformitatem cum Divina scientia con: ans: intrinsecè, et formaliter ne: ans: et cons: Divina scientia est essentialiter vera, quia necessariò conformatur cum obiecto quod cognoscit: Unde fit, quod si quae cognitio nostra conformis sit scientiae Divinae veram esse necessario arguimus, sed sicuti veritas cognitionis Divinae consistit formaliter in conformitate cum obiecto ità veritas cognitionis nostrae in eadem conformitate formaliter posita est. Ad confirmationem con: assumptum, et negamus: certè cum nos in huiusmodi propositionibus obiectum consulere non possimus, veritatem inquirimus ex revelatione. Sed hoc probat aliquam propositionem esse arguitivè veram ex conformitate cum scientia Divina, non tamen intrinsecè et formaliter.

22. Obijcies secundo, aliquae propositiones verae sunt et nullum ha=

libere obiectum; ergo non denominantur veræ per conformitatem cum obiecto. Ant: prob: in propositionibus 1: de obiecto impossibili quare esset, chimera? ... est impossibilis. 2: de obiecto futuro Antichristus peccabit: tertio de obiecto præterito Iudas peccavit: quarto de obiecto conditionato: si Tyrii vidissent miracula Christi, quæ non viderunt, pœnitentiam egissent: hæ propositiones sunt veræ, sed earum obiecta non sunt; ergo etc. R: ne: ant: ad prob: ne: mi: et assigno obiecta harum propositionum. Quoad impossibilia, de quibus multis hæc quæstionibus involvuntur: breviter dico propositiones huiusmodi habere pro obiecto duo prædicata possibilia, eorumque necessariam distinctionem. Propositio allata ita exponitur: Hircus, et cervus sunt duo obiecta necessariò distincta neque possunt coniungi in una natura: hæc distinctio, seu multiplicitas obiectorum est obiectum illius propositionis, quod certè est aliquid possibile, quamvis enuncietur aliis terminis. Cæterarum propositionum obiecta sunt veritates illæ, quæ affirmantur, nempe existentia realis futura peccati Antichristi, existentia realis præterita peccati Iudæ, et existentia realis conditionata conversionis Tyriorum, quæ obiecta licet actu non sint, tamen vel extiterunt, vel existent vel extitissent pro sua temporis differentia, quod sufficit, ut veræ sint illæ propositiones; non enim ad veritatem propositionis requiritur obiectum actu existens, sed existens solum pro eo tempore, quod enunciatur. Sed de his in quæstione sequenti.

23. Obiicies tertio. Divina voluntas est regula bonitatis, ergo Divina scientia est regula veritatis. R: omisso ant: et dis: consequens; est regula extrinseca et arguitiva con: cons: intrinseca et formalis ne: cons: contra responsionem. Ita Divina voluntas est regula

bonitatis ut actus moralis dicatur intrinsecè bonus, quià conformis est Divinæ voluntati. Ergo ità Divina scientia est regula veritatis, ut actus intellectus dicatur intrinsecè verus, quià conformis est Divinæ scientiæ. Rx. omitto iterùm ant: et ne: cons: Non conveniunt authores inter se, quæ sit regula intrinseca bonitatis nostrorum actuum. Alij putant petendam esse hanc regulam ex Divina voluntate, alij ex lege Divina, alij ex lege humana obligante in conscientia, quæ vim suam desumit ex authoritate Divina, alij demum ex recto dictamine conscientiæ. Sed hoc inquirere perti= net ad philosophos, ubi agunt de actibus humanis: Ideò omisi ant: quod etiamsi concederetur, disparitas est, quià bonitas et honestas nos= trorum actuum moralium non potest aliundè desumi, quam èx con= formitate cum aliqua regula, quæ si statuatur esse bonitas Divina per hanc intrinsecè, et formaliter actus nostri denominantur honesti. Contrà verò cum veritas alicuius imaginis in repræsentando desumà= tur immediatè ex conformitate cum obiecto per hanc solùm deno= minatur vera imago intentionalis, qualis est nostra cognitio, quam= vis arguitivè desumi possit ex conformitate cum scientia Divina. Quemadmodum si detur aliqua imago repræsentans Franciscum III: Lotharingiæ Ducem, et ad huius similitudinem aliquæ ima= gines exprimantur, arguimus has eundem Franciscum repræ= sentare quià primæ illi conformantur.

47. Instabis: Sicuti se habet bonum relatè ad voluntatem ità se habet verum relatè ad intellectum, sed actus ~~intellectus~~ voluntatis non de= nominantur boni ex conformitate cum obiecto; Ergò neque actus in= tellectus ex eâdem conformitate denominantur veri. Rx: dis: ma: in aliquibus: in aliquibus eodem modo se habent con: ma: in omnibus:

re: ma: et con: mi, et re: con: Actus intellectus, et voluntatis in aliquibus conformantur. Sunt enim perfectio ~~voluntatis~~ potentiæ suæ per ipsos distinguitur homo a cæteris animalibus, non tamen perfectam inter se proportionem servant; Nam actus voluntatis dicuntur honesti, et capaces sunt meriti, et demeriti; actus autem intellectus veri denominantur, et solum ab imperio voluntatis desumunt aliquandò meritum, et demeritum, ut contingit in rebus Divinæ Fidei. Quin etiam hoc discrimen in re præsenti inter illos intercedere dico, quod actus voluntatis non dicuntur boni, et honesti ex obiecto, sed ex regula proxima honestatis, quæ a Theologis statuitur dictamen conscientiæ præscribentis in his circumstantiis talem actum, atque adèo dicunt, dictamen huiusmodi esse regulam subiectivam, et immediatam actuum humanorum. Actus autem intellectus bonitatem suam, quæ est veritas, desumunt ex obiecto, et ex conformitate cum illo, ut probatur paritate imaginis. Hinc sequitur aliud discrimen inter utrosque actus: Si quis operetur iuxtà dictamen conscientiæ, semper dicitur honestè operari: Si quis judicet de re aliqua ex prudenti motivo, quod habeat non dicitur vera judicare, sed tantùm prudenter.

25. Quæres cum veritas propositionis desumatur ex conformitate cum obiecto utrum obiectum ipsum constituat veritatem propositionis. R: hoc pendere ex eo quod dicitur de relatione, utrum hæc constituatur ex termino, quod cum aliqui doceant ponunt nos cum illis docere propositionis veritatem quæ est aliqua relatio, constitui etiam ex obiecto: Et significat non posse dari propositionem veram nisi detur vel existens, vel possibile obiectum, cui confor=

nietur, in quo nulla est difficultas.

26\. Queres secundo. Cum aprehensio et iudicium ambo sint imago intentionalis obiecti et utriusque imaginis veritas consistat in conformitate cum illo, quod discrimen est inter veritatem propriam propositionis, et inter veritatem communem etiam aprehensioni. Rs: discrimen omne pendere ex placito hominum, ad quos pertinet tribuere denominationes cognitionis vere. Homines autem ex placito suo illam dicunt cognitionem veram que non quamcumque conformitatem cum obiecto habet, sed in obiectum tendit aliquid affirmando aut negando.

Articulus tertius.

Utrum propositio de futuro contingenti sit una determinatè vera, vel falsa.

Sectio prima.

Status questionis.

27\. Propositiones de futuro contingenti vocantur ille, que enunciant rem aliquam futuram, que cum existet, non necessariò existet sed liberè et contingenter ità ut possit non existere. Afferri solet in exemplum hec propositio: <u>Antichristus peccabit</u> in qua propositione ità enunciatur futurum peccatum Antichristi, ut non necessariò, sed liberè pro sua temporis differentia sit extiturum, et possit illud non ponere Antichristus.

28\. Futurum aliud est necessarium, aliud contingens. Necessarium est illud, quod ità erit ut non possit non esse. v.g. Sol cras orietur. Contingens est illud quod ità erit ut possit non esse. Utrumque dividitur in absolutum, et conditionatum. Absolutum est illud quod independenter a quacumque conditione existet v.g. <u>bellum</u>

erit contra Turcas. Conditionatum est quod existat si ponatur aliqua conditio: v: g: si ad cœnam vocabor, ibo. Triplex est genus veritatis conditionatæ: Alia habet conditionem connexam cum conditionato ut si sol est, dies est: Alia habet conditionem conducentem ut si ego audiam sacram concionem, convertar ad Deum. Alia habet conditionem disparatam ut si ego vigilo Petrus dormit. Quæstio procedit solum de secundo genere conditionatarum.

19. Illud quod est futurum considerari potest aut futurum in causa, ut futurum in se. Illud dicitur absolutè futurum in causa cum hæc iam est determinata ad producendam existentiam rei: Illud dicitur futurum in se cum in se ipso nunc non existit sed existet pro tempore subsequenti. Exemplum sit in Antichristo. Antichristus est futurus in causa, quia Deus decrevit, ut ex revelatione constat, ponere tali tempore illum in mundo, adeoque hoc decretum Dei dicitur futuritio causalis ipsius Antichristi. 2. est futurus in se quia verè in se habebit existentiam, et durationem pro tali tempore, et hæc dicitur futuritio formalis ipsius Antichristi.

20. Non quærimus itaque in hac quæstione 1. an nos cognoscamus determinatam veritatem, vel falsitatem propositionis de futuro contingenti; certum est enim quoad nos non esse determinatè veram, vel falsam, cum nos non possimus determinatè dicere de actibus liberis: Petrus cras futurus est domi, Petrus non est cras futurus domi, et in hoc sensu verum est proverbium de futuris contingentibus non datur determinata veritas, quia nobis innotescere non potest. Non quærimus 2: an propositiones de futuro contingenti, quæ disiunctivè afferuntur sint etiam quoad nos determinatè veræ, vel falsæ. Hæ enim pro=

in hervi ex creaturis:
non tamen excludit
ideam innatam Dei:

Fides enim ex auditu.
Ap: docet Ap: nos
habere primas co=
gnitiones Dei ex
auditu. non excludit
tamen ideam Dei:

positio disiunctiva: Petrus vel cras erit domi, vel non erit est necessariò vera: sed necessitas oritur solum ex disiunctione, quæ facit, ut propositio tota sit necessariò vera; singulę autem partes sunt contingenter verę, et nulla pars est determinatè vera quoad nos. Non enim valet determinatè inferre ex illa disiunctiva, Ergo Petrus cras erit domi; Ergo Petrus cras non erit domi.

21. Quęrimus an propositio de futuro contingenti sit determinatè vera, vel falsa quoad se, ità ut saltem a Deo determinari possit vera ne sit, an falsa. Limitatur hęc quęstio ad propositiones de futuro contingenti, quià de futuris necessarijs non dubitatur, quamvis de modo et ratione, qua vera sint, eodem pacto disputari possit.

22. Hac occasione oritur altera quęstio per quid sint verę, aut falsę huiusmodi propositiones nimirum an per decretum Dei æternè existens, quod se habeat tanquam causa ipsius rei contingenter futurę, an potius per obiectum harum propositionum nempè quod res ipsa, quę nunc non existit, futura olim sit ut enunciatur. Hęc secunda quęstio lites fortè nunquam componendas nos inter et Thomistas excitavit.

23. Nos itàque non negamus res omnes futuras habere hanc futuritionem causalem in decreto Dei, quià certum omninò est nihil esse futurum, cui non pręcedat Divinum decretum, dependenter a quo existat. Concedimus prętereà decretum hoc semper esse pręsens licet respiciat rem futuram, quià quidquid in Deo est ęternum est cum Deus ex natura sua omninò sit immutabilis; dicimus solùm res futuras, licet efficienter a Decreto Divino et suis causis sint exiturę, esse etiam futuras formaliter per se ipsas, atque adeò id per quod vera est propositio de futuro

præsertim libero non sunt præsentes causæ, in quibus futurum sit determinatum, sed ipsa existentia futurorum pro aliquo instanti.

24. Non negamus secundo futura omnia cognosci a Deo in decreto suo quo decrevit illa producere, quod falsò nobis aliqui aucthores affingunt fingentes hostem, quem feriant: Dicimus cognosci præterea a Deo in se ipsis: Et deindè negamus, Deum cognoscere futura libera 1: in decreto prædeterminante. 2: in decreto applicativo suæ Omnipotentiæ. 3: in causa libera complata. Non in primo quià lædit libertatem creatam; non in secundo quià in causis liberis debet esse indiferens ad actum et ad omissionem illius; non in tertio, quià causa libera completa est omninò indiferens ut se determinet tum ad ponendum actum, tum ad illum omittendum: Quæ tria fusè probantur præsertim a nostris Theologis.

Sectio secunda.

Statuitur prima conclusio.

25. Propositiones de futuro contingenti, tum absoluto tum conditionato sunt nunc quoad se determinatè veræ, vel falsæ. Prob: vel potius demonstrantur et assumo propositionem de futuro absoluto: Bellum navale erit. Quodlibet est, vel non est; Ergo bellum navale erit, vel non erit. Prob: cons: Deò verum est quoad se illud principium pro tempore præsenti, quià si idem posset simul esse, et non esse, vera essent duo contradictoria; sed eodem modo vera essent duo contradictoria si idem quoad se posset esse et non esse pro tempore futuro; Ergo si verum est pro tempore præsenti quodlibet est vel non est verum est pro tempore futuro quodlibet erit vel non erit. Subsumo: Sed si bellum navale verè

erit vel non erit, vera vel falsa determinatè erit propositio quę illud enunciat futurum; Ergo propositio de futuro libero contingenti et absoluto est quoad se determinatè vera vel falsa. Minor subsumpta constat ex illo Artis: et Epicuri: Eo quod res est vel non est propositio vera vel falsa dicitur.

26. Probatio innititur huic regulę: Ex duabus propositionibus contradictorijs una est determinatè vera, altera determinatè falsa; Sed hę duę propositiones bellum navale erit, bellum navale non erit, sunt contradictorię; Ergò &c: Idem argumentum fit si assumatur propositio de futuro conditionato; Sicut enim idem non potest simul esse, et non esse absolutè, ità idem non potest simul esse et non esse posita conditione: Prob: secundo paritate propositionum de tempore pręterito. Nam vera vel falsa est hęc propositio: bellum navale fuit: Ergo vera vel falsa est propositio de futuro, bellum navale erit. Cons: patet ex eodem principio quodlibet est, vel non est.

27. Velim hic in memoriam revocetis, quę diximus in summulis de suppositione determinata et indeterminata propositionum. Hęc propositio aliqua navis est necessaria ad navigandum indeterminatè supponit; non enim affirmat, navim potius A quam B necessariam esse; sed tamen determinatè vera est, quia navigatio est huiusmodi actio, ut haberi non possit nisi per aliquam navim. Aliud est igitur quod propositio indeterminatè supponat aliud quod determinatè vera non sit vel falsa. Primum sęppè contingit alterum nunquam.

28. Obijcies primò authoritate Artis: qui lib: 1: de interpretatione cap: 6: qui graecè inscribitur Perihermenias docere

videtur ex his duabus propositionibus de futuro contingenti: Bellum navale erit: bellum navale non erit neutram esse determinatè veram, vel falsam, Ergò &c: R: primo librum hunc qui affertur fortè non esse Artis. quod apertè dicunt Andronicus Rhodius, qui in emendandis operibus Artis: maximam operam præstitit et Franciscus Patritius Senensis in veterum philosophia versatissimus thomo 2: lib: 4: de discussionibus Peripateticis:

29. Obijcies secundo. Propositio de futuro libero contingenti est indiferens ad veritatem, et falsitatem: Ergo non est determinatè vera vel falsa. R: dis: ant: Est indiferens ad veritatem, et falsitatem ità ut possit simul carere utraque ne: ant: ità ut, quæ est vera potuerit esse falsa con: ant: et ne: cons: Explico distinctionem. Aliquid potest dici indiferens ad duo extrema 1: ità ut possit carere utroque: hoc genere indiferentiæ ego sum indiferens ad legendum, et scribendum, possum enim utrumque omittere. 2. ità ut licet necessariò debeat habere alterutrum tamen ità habet unum ut potuerit illud non habere: hoc genere indiferentiæ ego sum indiferens ad legendum et non legendum, sed tamen alterutrum necessariò debeo facere, quamvis quodcumque extremum ponam, et quamcumque partem eligam contingenter illam eligo. Hanc indiferentiam habent propositiones de futuro contingenti ad veritatem, et falsitatem, alterutram enim necessariò habere debent quamvis si veræ sint contingenter veræ sint.

30. Instabis primo. Indiferens et determinatum opponuntur. Ergo si propositio de futuro est indiferens ad veritatem, et falsitatem, non

est determinatè vera, vel falsa. Rx: con: ant: et ne: cons: Quamvis
Petrus dicatur indiferens ad legendum, et non legendum, et ad
neutrum sit in se determinatus, tamen determinatè verum est
quod legit, vel non legit. Tota igitur indiferentia in eo con=
sistit, quod Petrus pro sua libertate potest alterutrum ex=
tremum ponere, sed tamen necessariò debet legere, vel non le=
gere, et ex istâ necessitate oritur, quod propositio sit determi=
natè vera vel falsa.

31. Propositio [instabis secundo] de futuro contingenti est contingen=
ter vera; Ergo nullo modo est determinata. Prob: consequentia,
quia contingens, et determinatum opponuntur. Rx. con: ant: et
ne: cons: ad prob: nec assumptum; Illud enim ex Arte: dici=
tur contingens, quod ità est, ut potuerit non esse, sed hoc non
impedit determinationem: ergo non opponuntur contingens, et
determinatum: Mi: prob: quia cursus Petri contingens est, et
tamen determinatus est. Ergo possunt componi contingentiâ,
et determinatio. Ad summum opponuntur contingens, et deter=
minatum in causa; si enim lux crastina determinata est in
ortu solis supra Orizontem, non est amplius contingens, sed neces=
saria.

32. Instabis tertio. Propositio de futuro contingenti non est necessariò
vera, neque necessariò falsa; Ergo potest esse simul vera, et falsa
adeoque non est determinata ad veritatem et falsitatem. Rx:
con: ant: et ne: cons: sequitur potius ex illo antecedenti, quod
erit contingenter vera, vel contingenter falsa.

33. Instabis quarto. Determinata veritas propositionis de futuro pen=
det a determinata existentia objecti pro tempore futuro; Nam

ex quod res est vel non est propositio vera vel falsa dicitur; Sed obiectum nunc non est determinatum ad existendum pro tempore futuro; Ergo neque propositio de tali obiecto est determinatè vera. Mi: prob: Obiectum in casu quæstionis est contingens; Ergo ità ponendum est a causa libera ut illud possit ponere vel non ponere; Sed hoc ipso non est determinatum ad existendum pro tempore futuro; Ergo &c:

R: primo: retorquendo argumentum in propositione contingenti de obiecto præterito, cuius causæ cum de præsenti non existant non sunt de præsenti determinatè ad ponendum effectum.

R: secundo in forma dis: ma: Pendet a determinata existentia obiecti, quæ existentia sit determinata nunc ne: ma: quæ existentia futura sit determinata pro temporis differentia, quæ enunciatur con: ma: et concessa minori ne: cons: Sicuti propositiones de futuro non enunciant obiectum præsens, ità non requirunt existentiam obiecti determinatam a suis causis pro tempore præsenti, sed solum determinatè futuram pro illo tempore, quo enunciatur.

34. Obijcies quarto: Obiectum propositionis de futuro modò non existit. Ergo neque existit modò veritas illius propositionis. R: primo retorquendo argumentum in tempore præterito: R: secundo con: ant: et ne: cons: Obiectum verificat de præsenti propositionem sicut exigit ipsa propositio; Sed propositio de futuro non exigit existentiam obiecti, nisi pro futuro. Ergo ipsa sua existentia de futuro veram modò reddit propositionem.

35. Instabis: Ut propositio sit vera nunc debet dari nunc illius verificativum nempe obiectum; Sed obiectum propositionis de futuro nunc non datur; Ergo nunc non est vera. R: primo retorquendo ar=

inveniuntur in tempore præterito: Resp: secundo dist: ma: debet dari pure obiectum eo modo, quo exigit propositio, con: ma: eo modo quo non exigit ne ma: et con: mi: ne: cons: Obiectum propositionis de futuro nec datur nunc, nec debet dari, sed tamen est vera nunc si obiectum ita se habebit pro tempore enunciato a propositione, quemadmodum est vera nunc propositio de præterito, quia obiectum ita se habuit. Ratio est quia propositiones ut sint veræ de præsenti exigunt solum ut obiectum ita se habeat, ut enunciant.

Sectio secunda.

Veritas determinata futurorum contingentium, et Divina scientia de illis libertati humanæ non opponitur.

Paragraphus primus.

Statuitur humana libertas.

36. Stoici primi visi sunt inter philosophos impiè negasse libertatem humanam: His accesserant alii qui admittebant fatalem necessitatem, et vim insuperabilem siderum in omnes nostras actiones, quam sententiam amplexi sunt, inquit S. Gregorius Hom: 10: in Evangelia, hæretici Priscillianistæ impiè docentes unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci ita ut stellam ipsam quæ in Oriente apparuit, vix natus est Christus D. putarint fatum eiusdem fuisse. Seneca admisit quidem fatum hoc est Divinam rerum dispositionem, sed quæ libertatem nostram sequeretur, inquit enim: olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas; Ille ipse rerum conditor, ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur.

37. Secundo libertatem nostram negarunt hæretici illi, qui duo princi=

pia unum bonum, et alterum malum adduxerunt ut Marcionistae, et Manichaei. Tertio illi haeretici negarunt qui vel rejiciebant vel nolebant componere gratiam cum libero arbitrio, unde ita adhuserunt gratiam ut illud negarint. In hoc numero fuerunt ineunte quinto Ecclesiae saeculo nimirum circa tempus quo obiit S. Aug: haeretici Praedestinatiani, quorum haeresis ut docent PP. Sirmundus et Petavius de Incarnatione lib: 13: cap: 6: originem habuit a Monachis Adrumetinis in Africa: Et duobus ferè abhinc saeculis Lutherus, Calvinus, Baius, Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis.

38\. Sed contra istos haereticos Catholici omnes tenent dari in nobis etiam post peccatum Adae liberum arbitrium. Prob: primo ex cap: 15: Ecclesiastici: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: Adiecit mandata et praecepta sua: Si volueris mandata servare conservabunt te ..... Apposui tibi aquam, et ignem ad quod volueris porrige manum tuam; Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi: Quibus verbis ita clarè explicatur libertas nostra ut nihil supra. Prob: secundo:

39\. Prob: secundo ex Concilio Tridentino sessione 6: cap: 5: in quo dum explicatur praeparatio ad justificationem in adultis dicitur: Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest. Ex quo infertur, quod si homo recipere, et abjicere potest vocationem Divinam liber est ad assentiendum, et dissentiendum. Idem constat ex definitionibus S. Pii Quinti, et Gregorii XIII: contra Mi=

chaelem Baium doctorem Lovaniensem Innocentij X: contra Cor-
nelium Jansenium, et Clementis XI: in constitutione Unigenitus
contra Paschasium Quesnellium cujus centum et unam proposi-
tiones damnavit. Idem etiam constat ex consensu SS: PP: quos refert
Bellarminus.

40. Tertio probatur ratione quià juxta praxim et sensum totius hu-
mani generis homines sunt in tali statu, ut illis jure imponantur
præcepta et leges, dentur consilia tum a Deo in ordine ad fines salu-
tares, tum a magistratibus in ordine ad fines civiles: Præterea homines
aliquandò benè operantur et digni sunt laude et præmio, aliquando
malè, et digni sunt vituperatione, et pœna: Denique omnes omninò
Respublicæ a constitutione mundi ea lege cives suos moderatæ sunt
ut præmia et pœnas proposuerint; Sed hæc omnia libertatem
arbitrij requirunt; Ergo libertas hæc datur in hominibus. Sed has
probationes indicasse ad eruditionem sufficiat; eas fusius explica-
re et obiectionibus respondere ad Polemicos pertinet.

41. Libertas igitur quæ tanquam res Fidei a Catholicis statuitur ex
Aris: 3. Ethicorum, et S. Thoma ibidem, est potentia quæ positis
omnibus prærequisitis ad agendum et non agendum potest agere
et non agere. Inter divisiones libertatis, quæ a Theologis afferri
solent, duas eligo: Prima dicitur libertas a coactione, et est illa
quando ponitur actus a principio intrinseco, nimirum a voluntate
sine resistentia sine repugnantia aut violentia ulla. Hoc liber-
tatis genere Beati in Cælo amant Deum, qui licèt omittere non
possint amorem, tamen sine ulla violentia Deum amant. Hanc
libertatem voluit Jansenius habere homines in hac vita: Ejus
enim tertia propositio sic habet: Ad merendum, et demerendum

in statu naturę lapsę non requiritur in homine libertas a necessi=
tate, sed sufficit libertas a coactione: sed hanc propositionem cum
alijs quatuor eiusdem authoris meritò damnarunt Innocentius
X: Alexander VII: Clemens XI:

42. Alia dicitur libertas a necessitate antecedenti, et est immunitas
a connexione cum ijs terminis, ad quos dicitur libera, adeòque
includit duplicem potestatem nempè potestatem ad amandum
et potestatem ad non amandum, ac prętereà dominium, seu vim
eligendi unum prę alio. Alio nomine vocatur libertas arbitrij,
libertas indifferentię, et anthonomasticè libertas. Et hęc est illa
libertas quam Ecclesia Catholica statuit in hominibus, cui libertati
quęcunque necessitas metaphysica, et physica opponitur.

43. Libertatis indifferentię constitutiva omninò sunt quinque I:
Est ipsa voluntas, quę eligit, quę reprobat actum, quę meretur,
et demeretur. 2: Est judicium indifferens nimirum ea cognitio,
quę non rapiat nec determinat voluntatem irresistibiliter potius
ad unum, quàm ad aliud extremum: Non tamen per hoc constituti=
vum excluditur quilibet impulsus, aut inclinatio ad unum quia
Deus aliquandò ità per gratiam suam afficit intellectum, et volun=
tatem, ut ad faciendum bonum inclinet, alliciat, et quodammodo
suaviter impellat: Tamen hic impulsus aut inclinatio semper est
huiusmodi, ut ei resisti possit ab humana voluntate ut sectione 6:
canone 4: definivit Concilium Triden:

44. Tertium est Omnipotentia Divina parata ad concurrendum tum
ad actum, tum ad omissionem eius; Cum enim nihil produci possit
a creatura, nisi Deus immediatè physicè concurrat, ut probatur
in physica, libertas nostra non esset proximè expedita ad operationem

nisi Omnipotentia Divina parata esset ad concurrendum juxta determi=
nationem voluntatis nostræ. Quartum apud multos auctores est de=
cretum Divinum determinans negativè ad individuum, cum enim
haberi possint infiniti actus amoris omninò similes tum in specie
tum in gradibus intentionis, nec voluntas humana possit practicè di=
scernere unum ab alio assignari debet cur hic et nunc efficiatur
potius amor A, quam B. omninò similis. Dicitur determinatio
negativa, quatenus Deus per suum decretum tribuit libertati nostræ
potestatem proximam ad eliciendum amorem A in individuo, et
negat potentiam proximam ad elicienda alia individua omninò
similia. Neque hoc lædit libertatem nostram. Nam si homini
clauso in carcere relinquas calamum A vel librum A non
imponis necessitatem ad scribendum vel legendum: sed tamen
ille homo non habet aliam libertatem proximam ad legendum
nisi librum illum in individuo, ad scribendum nisi calamo illo.

45. Quintum est carentia omnis necessitatis, et impossibilitatis antis:
Necessitas antecedens est aliquid per se connexum cum uno extremo
contradictionis cum amore nempè vel cum non amore, quod evitari
non potest ab illa potentia respectu cuius dicitur necessitas. Sic for=
tia vincula et compedes, qui solvi non possint ab homine con=
clusto in carcere necessitate antecedenti per se connectuntur cum
remanentia eiusdem in ipso carcere. Iam verò si voluntas habeat
aliquid huiusmodi connexum antecedenter cum actu non est am=
plius libera ad illum.

46. Hæc quinque constitutiva sufficiunt ad liberè eliciendos actus na=
turales. Ad actus supernaturales requiritur prætereà principium ali=
quod supernaturale, vel extrinsecum, vel intrinsecum, et vocatur au=

xilium Divinę Gratię omninò indebitum naturę et Christi D. meritis acquisitum, cui tamen auxilio iuxta Concilia potest homo dissentire, et resistere.

Paragraphus secundus.

Statuitur scientia Divina quoad omnes veritates.

47. Antes: ut inquit S. Aug: lib: 5. de Civit: cap: 9. ut homines liberos faceret facit sacrilegos nullamque earum rerum quę futurę aliquandò non tamen ex necessitate essent cognitionem certam Deo concessit: Et Cic: lib: 2: de natura Deorum inquit: Mihi quidem videtur neque in Deum cadere ut sciat, quod futurum est; Nam si scit esse, certò eveniet: Quod si certò eveniet nullus est casus neque fortuna. Firmum tamen est apud Catholicos omnia sivè prętérita sivè pręsentia sivè futura tum necessaria tum contingentia etiam libera, tum quę ab aliqua conditione pendent, tum quę absolutè futura sunt, nuda esse et aperta oculis Dei, ut inquit Apos: ad Hebręos 4: De hac quęstione non dubitatur a Catholicis; Solum dubitatum olim fuit utrum scientia de futuris conditionatis admittenda esset in Deo saltem certa et infallibilis; Sed in hoc etiam modò conveniunt omnes Catholici.

48. Quanquam verò Catholici omnes in Deo admittant scientiam omnium futurorum vel hęc sit absolutè vel conditionatè futura, dubitatur tamen de medio in quo Deus illa cognoscat. Si de futuris sermo sit, quę a libertate voluntatis creatę non pendeant, sed a voluntate solum Divinâ Thomistę volunt ea cognosci a Deo non in se ipsis, sed in decretis suis, quę cum metaphysicè connectantur cum existentia futurorum, cognosci ipsa decreta a Deo non possunt, quin simul cognoscantur ipsa futura. Nostri authores contendunt, hęc futura

non solum cognosci a Deo in suis decretis, sed etiam in se ipsis. Cum enim Deus cognoscat quidquid in se ipso habet determinatam veritatem et futura omnia hanc veritatem determinatam in se ipsis habeant, sequitur, quod in se ipsis Deus etiam illa cognoscat.

49. Si sermo sit de futuris liberis a voluntate creata pendentib: etiä ista volunt Thomistę cognosci a Deo non in se ipsis sed in decretis suis. Et quia futura libera semper pendent ab aliqua conditione non inter constitutiva libertatis, quę suprà enumeravimus, semper est aliqua conditio quę si a Deo ponatur, sequetur vel non sequetur effectus, hinc tota quęstio ad futura libera conditionata revocatur. Thomistę itaq: sua decreta, in quib: solis Deus futura cognoscit appellant subiectivè absoluta, et terminativè conditionata. Exemplum esto in hoc decreto. Volo ut, si Tyrij videant miracula Xti D., convertantur. In hoc decreto dicunt videre Deum conversionem Tyriorum vocatur subiectivè absolutum, quià volitio Divina absolutè est, dicit enim volo vocatur terminativè conditionatum, quià terminus, quem respicit illud decretum nimirum conversio Tyriorum pendet a conditione si videant miracula Christi D. Si hęc conditio implenda sit ponunt aliud decretum absolutum in Deo quod sic tendit: Volo ut Tyrij videant miracula Christi: Si non implenda conditio sit ponunt in Deo aliud decretum: Nolo ut Tyrij videant miraculá Christi. His hisce decretis tribuunt Thomistę tria prędicata, 1. ut sint metaphysicè connexa cum actu libero, aliter enim non posset Deus in illis certissimè futura cognoscere: 2. ut antecedant naturâ nostrę libertatis exercitium: 3. ut impediri non possint a voluntate.

50. Nostri authores universi hęc decreta pluribus argumentis impugnant. Faciliora seligo. Et primò decreta illa sunt nugatoria si simul conjungantur cum decreto absoluto de conditione non implendâ.

Dicat enim aliquis amico suo: Volo ut prandeas mecum, si domum meam ingrediaris, et simul addat, nolo ut domum meam ingrediaris: Non ne jurè quæreretur amicus secum nugatoriè et indignè agi. Vos ipsos consulite.

51. 2o. lædunt decreta hæc Sanctitatem Divinam; Si enim decreta circa peccatum, et simul conjungantur cum decreto absoluto de implenda conditione faciunt Deum authorem peccati. Sit enim hoc decretum subiectivè absolutum, et terminativè conditionatum: Volo ut si Petrus videat Paulum illum occidat et cum isto conjungatur decretum absolutum volo ut Petrus videat Paulum, certè occisio Pauli et peccatum Petri determinaretur a Deo, et ipsi imputaretur.

52. Tertio lædunt libertatem nostram, cum enim decreta illa sint metaphysicè connexa cum peccato, aut actu bono, nec possint impediri a voluntate nostrâ, cum ab exercitio libertatis nostræ decreta illa non pendeant sequitur neque peccatum neque actum bonum impediri posse, ac proindè actus istos non esse nobis liberos.

53. Scio Thomistas his et aliis argumentis semper conatos esse pro viribus respondere, sed præter quam quod alii alias responsiones afferunt adhuc vigent argumenta nostra, et nostra sententia quamvis ab illis fabulis potius quam argumentis sit impetita duris ut ilex tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro.

54. Nos igitur universi dicimus actus liberos conditionatè futuros Deum cognoscere independenter omninò ab his decretis, quæ nullo modo dantur, et cognoscere per scientiam contingentem, conditionatam, quæ respicit ipsos immediatè in se ipsis, tanquam in rationibus assentiendi, et admittimus in Deo scientiam, quam mediam vocamus. Quam ut explicem altius repetanda est quæstio.

55. Scientia Divina, qua Deus veritates omnes clarissimè cognoscit primo dividitur a Theologis in scientiam visionis, et scientiam simplicis intel=ligentiæ. Scientia visionis est illa, qua Deus cognoscit, quidquid est absolutè extiturum pro aliqua temporis differentia. Scientia sim=plicis intelligentiæ est illa qua Deus cognoscit quidquid non est ex=titurum sed possibile esset ut existeret. Secundò dividitur in neces=sariam, seu naturalem, et liberam seu contingentem. Scientia neces=saria vel potius necessariorum est illa, qua respicit omnes veritates necessarias, sivè hæ sint extituræ, sivè purè possibiles. Scientia libera est illa qua respicit omnes veritates contingentes, quæ dependenter a li=bera voluntate, vel Dei ipsius, vel creaturæ existent. Sic scientia illa qua Deus cognoscit mundum existere, pertinet ad scientiam liberam quià mundus per liberam Dei voluntatem existit, quam si Deus non habuisset, et decretum de producendo mundo non fecisset, hæc scientia seu hic actus scientiæ in Deo non daretur.

56. Media inter utramque quam admittunt nostri authores est illa quæ communi vocabulo dicitur <u>scientia media</u>. Hæc autem est illa qua Deus cognoscit futura contingentia conditionata nobis libera. Hujusmodi sunt propositiones illæ conditionatæ, quæ asserunt pro hypothesi libertatem aliquam proximè expeditam ad aliquam ac=tum, vel ad ejus omissionem, et pro conditionato affirmant unum potius, quàm aliud exercitium libertatis v.g. Si libertas Petri pro instanti <u>A</u> audiret concionem, converteretur ad Dominum. Media dicitur hæc scientia inter necessariam, et liberam, quià in ali=quo convenit cum utrâque, in aliquo differt: Convenit cum neces=saria, quià non est libera Deo, convenit cum libera, quià est con=tingens cum potuerit non esse in Deo. Illa igitur futura conditio=

reta, in quibus conditio nunquam implenda est sicuti non requirunt decretum aliquod actuale, aut praesens, ut sit pure conditionate futura, ita cognoscuntur a Deo independenter omnino a decreto praesenti solum per scientiam conditionatam, quam mediam appellamus. Sed hoc ulterius inquirere nostrum non est.

57. Haec autem est illa scientia media, quae vel inventa vel instaurata in Hispaniis a P. Ludovico Mollina argumentum fuit acerrimarum disputationum, quae primum in Hispania, deinde Romae Thomistas inter et nostros habitae sunt coram Summis Pontificibus Clemente VIII: et Paulo V: quarum exitus fuit ut injudicata causa sententiam suam quisque defenderet, atque adeo magno se judice quisque tuetur. Hanc sententiam Cardi: Bellar: ad mortem usque propugnavit, cumque adversarii nostri in vulgus spargerent, illam jam rejecisse, morti proximus Bellar: advocatis testibus, et publico notario professus est se mori in ea sententia, quam ipse in suis controversiis propugnavit.

Quemadmodum vero solemne est apud multos quaequalibus argumentis refutare non possunt ea fucandis ineptiis et iniuriis impetere ita non defuerunt, qui armis huiusmodi sententiam nostram impugnarent inter quos superioribus annis fuit P. Hyacinthus Serry vir caeteroquin doctissimus, qui primum simulato nomine Augustini Lebrlane deinde aperto nomine multa contra nos edidit vel falsa, vel iniuriosa: Quod tamen telum quam fuerit imbelle et sine ictu ostendit P. Livinus Meijer qui primum simulato nomine Theodori Eleutherii (quae duo verba latine significant donum Dei liberum) deinde aperto nomine illi ita respondit, ut plura reponere ausus non fuerit.

Paragraphus secundus.

Statuitur secunda conclusio.

58\. Sed ut unde digressi sumus quæstionem revolvamus universa nostra Societas docet futura omnia libera tum absoluta, tum conditionata in se ipsis a Deo cognosci, neque hanc cognitionem præscindendo etiam a decreto Thomistico tollere libertatem futurorum. Sit igitur communis conclusio præscientia Divina optimè componitur cum libertate nostra. Conclusio facilius probatur solutione obiectionum.

59\. Obiicies itaque. Positâ in Deo ista scientia Antichristus peccabit non potest ille non peccare; Ergo necessario peccat non liberè. Ans. prob: quia Antichristus futurus nec potest impedire scientiam Divinam de suo peccato, quæ Divina scientia de præsenti est, nec potest illam falsificare; Ergo si prævidetur a Deo peccaturus non potest non peccare.

60\. Rs: dis: ans: non potest non peccare impotentiâ anti: ne: ans: impotentiâ consequenti con: ans: et eodem modo distinguitur consequens. Duplex datur in re præsenti impotentia, sicuti duplex necessitas. Alia dicitur antecedens, alia consequens. Impotentia et necessitas antecedens est illa, quam habet causa necessaria, quæ quando est, semper est determinata ad effectum ponendum et illum necessario ponit. Sic Sol sicuti est causa necessaria lucis, et ignis est causa necessaria caloris habent necessitatem antecedentem ille ad producendam lucem, hic ad producendum calorem. Impotentia et necessitas consequens est illa, quæ consequitur ipsum effectum jam positum, et definitur a S. Anselmo, necessitas quam sibi facit voluntas. Ista necessitate quidquid est necessario est; Nam ut inquit Arles. Omne, quod est, quando est, necessario est esse.

61. Necessitas antecedens omninò tollit libertatem, quià est antequam effectus ponatur: Illam verò non tollit necessitas consequens. Ratio est quià necessitas consequens, quam habet effectus ad existendum, vel est ipse effectus jam existens consequens ad exercitium libertatis vel aliquid consequens ad ipsum effectum: Certum est autem quod id quod consequitur exercitium libertatis non potest illam tollere. Sic Petrus, qui jam se determinavit ad ambulandum dum ambulat necessariò ambulat, et dum illum ego video ambulantem pariter necessariò ambulat, quià non potest componere hęc duo, quod ambulet et non ambulet, et quod ego illum videam ambulantem, et ille non ambulet. Sed hęc necessitas consequitur determinationem ejus libertatis. Ergo illam non tollit.

62. Cum itaque Antichristus pręvisus sit a Deo peccaturus, verum quidem est, quod ille omittere non potest peccatum, et necessariò dicitur peccaturus, sed impotentiâ solum et necessitate consequenti, quià peccatum illud a Deo pręvisum est consequens ad exercitium et determinationem ejus libertatis, quę necessitas, ut diximus, non tollit libertatem. Quod autem pręscientia Divina sit consequens ad exercitium libertatis patet ex innumeris testibus SS: PP: quos refert Bellar: lib: 4: de libero arbitrio cap: 9. et Romęus Ordinis Prędicatorum Generalis magister lib: de libertate operum. Communiter itaque docent, non ideò futura esse peccata, quià Deus novit, sed ideò Deus novit, quià futura sunt: Ergò peccata antecedunt naturâ pręscientiam Divinam, et pręscientia Divina est in posteriori naturę ad peccatum, sed implicat id quod est in posteriori tollere libertatem ejus exercitij quod est in priori; Ergo pręscientia Divina non tollit libertatem.

63. Affero loca SS: PP: S. Hieronimus in cap: 26 Hieremiæ: Non ex eo quod Deus futurum scit aliquid idcircò futurum est, sed quia futurum est novit. S. Ioannes Chrys: in illa verba Mathei 26. Væ mundo a scandalis Homiliâ 60. non quià futura prædixit idcirco eveniet, sed quià omninò eventura erant idcircò prædixit. S. Aug: lib: 5. de civit: cap: 10. Neque ideò peccat homo quià Deus illum peccaturum præscivit.... Qui si nolit omninò non peccat, sed si peccare voluerit, et hoc ille præscivit. S. Iustinus Martyr quæst: 58. Non est præscientia causa eius quod futurum est, sed id quod futurũ est, causa præscientiæ: Siquidem non præscientiam sequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia. Neque Christus prædicens proditionem Iudæ causa fuit proditionis Iudæ, sed proditio Iudæ causa fuit prænotionis Christi.

64. Dices primo. Aliqui Sancti Patres oppositum asserunt; Nam S. Gregorius lib: 20: Moralium cap: 23. ait, quæ sunt, non ab æternitate eius ideò videntur quià sunt sed ideò sunt quià videntur. Idem inquit S. Aug: lib: 15 de Trin: cap: 13: Ergo præscientia est causa rerum. Rx. S. Patres in aliena prorsus fuisse sententia ab ea, quam impiè docuerant Bickleffus, et Calvinus. Intelligendi sunt itaque non de scientia visionis, quæ est posterior natura obiecto suo, sed de scientia simplicis intelligentiæ, quæ a Theologis dicitur causa rerum, quià est causa directiva rerum producendarum: Possunt etiam intelligi de scientia media, quæ dirigit Deum ad conservandam homini libertatem potius per hoc auxilium, quam per aliud constituta. Et sic conciliantur S. Patres: Si autem appellatur ab aliquibus visio, sic eam vocant ad exprimendam illius claritatem.

65. Sæpe legimus in Evangelio aliquid factum esse ut impleretur scriptura: Sic Christus D. in Cruce dicit secundo Sitio, ut impleretur Scriptura; Ergo revelatio causa fuit illius actionis Christi; Ergo a pari præscientia potest esse causa nostræ actionis. R: communiter explicari illa verba dixit Sitio, et per hoc impleta est scriptura. Firmum itaque sit, præscientiam Divinam non esse causam futurorum, sed futura ipsa esse causam, quare in Deo sit hæc præscientia.

66. Responsio patet primò in re præterita, sicut tu, inquit S. Aug: lib: 3: de libero arbitrio cap: 4. Memoria tuâ non cogis facta esse quæ præterierunt. ita Deus præscientia suâ non cogit facienda quæ futura sunt. Secundo in re præsenti. Video inquit Severinus Boetius lib: 5. de consolatione video jacentem aliquem in foro, et dum ego video jacentem ille necessariò jacet, sed necessitas ei non infertur a visione mea, ut jaceat, sed potius a jacente mihi infertur necessitas, ut videam. Ergo a pari dum Deus videt aliquem peccaturum, non infert necessitatem peccandi, sed potius ab eo, qui est peccaturus necessitas infertur, ut Deus sapientissimus peccatum illud cognoscat.

67. Dices, maximam disparitatem esse inter præsens, et præteritum, et futurum; facile enim intelligitur, quod scientia, qua cognosco Adam peccasse non lædat libertatem, quia scientia hæc subsequitur peccatum Adæ: Et facilè etiam intelligitur, quod visio mea, quæ coexistit homini jacenti in foro, non lædat libertatem, cum autem præscientia Divina ab æternitate præcedat peccatum, quod cognoscit futurum videtur tollere libertatem ad illud.

68. R: terminos ipsos præteritum et futurum admitti solum in Deo per nostrum concipiendi modum; Cæterum propter ejus immutabilem perfectionem omnia ab æternitate præsentia sunt, et omnia simpli=

cissimo intuitu cognoscit non enim, inquit S. Aug: more nostro vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio quodam modo a nostrarum cognitionum longè diverso. omnes creaturarum cognitionum leges prætervolat, et scit, et præscit ineffabili modo. Quemadmodum enim nos uno oculi intuitu plures videmus inter se diversum ordinem localem habentes quin nostra visio habeat aliquem ordinem, quo videat priores deinde posteriores sed unica solum visio omnia obiecta attingit, et sine ulla successione successionem pandit; sic Deus sine successione subiectiva et sine ulla temporis differentia per simplicissimum actum omnem temporalem successionem, quæ in obiectis fuit, est, erit clarè intuetur.

9. Iam verò sicuti rebus præsentibus non tollitur libertas a nobis per hoc quod videantur, ità rebus, quæ nobis sunt futuræ Deo autem præsentes non tollitur libertas per hoc quod prævideantur. Dices tamen. Præscientia ista præcedit a parte rei peccatum. Ergo nulla responsio. R: dis: ant: præcedit tempore con: ant. præcedit naturâ ne: ant. et cons: Satis supra probavimus ex S. Patribus prius esse in ratione obiecti peccatum, quam præscientiam de illo.

10. Obiectioni supperius factæ responderi posset alio modo, qui in idem recidit. Nimirum dis: ant. Non potest non peccare in sensu composito con: ant. in sensu diviso ne: ant, et cons: Certè qui legit e.g. non potest non legere in sensu composito, quod legat, quia non potest componere hæc duo legere, et non legere. Potest autem non legere in sensu diviso, quià cum legit, habet simul potestatem non legendi, adeoque potest se dividere a lectione illam nimirum omittendo. Libertas enim in nullo est ad ponenda simul duo contradictoria sed ad ponendum alterutrum. Hinc dicitur a Theologis habere nos

simultatem potentiæ, non autem potentiam simultatis. Et significat cum exercemus libertatem legendo, habemus simul potentiam legendi et non legendi, non autem habemus potentiam conjungendi simul lectionem cum non lectione. Quia hæc esset potentia ad conjungenda simul duo contradictoria, quod omninò implicat. Cum itaque Antichristus prævidetur a Deo peccaturus et illa omnia quæ nobis futura sunt, Deo sint præsentia, jam intelligitur, se illa determinare ad peccandum, sed in sensu composito, quod ille libertatem suam peccando exerceat, non potest non peccare, Ergo in sensu composito scientiæ Divinæ non potest ille non peccare. Cum autem poterit ipse se dividere a scientia de suo peccato, Poterat enim facere, ut non prævideretur peccaturus, hinc dicitur in sensu diviso a scientia posse non peccare, atque adeo liberè ponere peccatum illud quod a Deo prævidetur. ~~Dices~~

72\. Dices. Sensus compositus et divisus non salvat libertatem. Ergo nulla distinctio. Prob: ant. Qui adstrictus est duris vinculis, et compedibus, quamvis in sensu composito, quod sic adstrictus est vagari per urbem non possit, possit autem in sensu diviso a vinculis. tamen nullo modo in eo statu dicitur liber ad ambulandum. Ergo &c. Resp. dis: ant. Si sensus divisus non possit fieri ab homine con: ant. Si possit fieri ne: ant. et cons. Ut aliquis dicatur antecedenter liber ad actionem, debet ipse posse facere sensum divisum, quem si facere non possit, ut in allato exemplo, non est liber. Cæterum hoc est celebre argumentum, quo schola nostra conatur impugnare physicam prædeterminationem Thomistarum qui sæpè recurrunt ad hanc distinctionem. Sicut enim ille homo hisce vinculis adstrictus solvere se non potest, atque adeo non est liber ad ambulandum, sic homo cum non possit

se dividere, seu impedire phisicam prædeterminationem illa potestate pro=
bamus non esse liberum.

72. Instabis 1. Antichristus futurus non potest impedire scientiam Divinam
quæ modò est: Ergo si modò prævidetur à Deo peccaturus, ille ne=
cessariò peccat. Ant. prob: 1. ex communi proloquio: Non datur ac=
tio, et potentia ad præteritum: 2. Scientia Dei, est ipse Deus, nemo
potest impedire ne Deus existat. Ergo nemo potest impedire ne
existat eius scientia. 3. Si scientia Dei est posterior natura peccato
prævisio, dependeret ipsa scientia ab ipso peccato; Hæc dependentia est
imperfectio in Deo; Ergo &c.

73. Rs. neg: ant. Sicut scientia Divina ex consensu D. PP. est posterior
natura ad peccatum quod cognoscit; Ità, si Antichristus non se esset
determinaturus ad peccandum fuerat, ut actus ille scientiæ, qui
de peccato ipsius in Deo est, non esset, ac per hoc antecedenter im=
pediret Divinam scientiam de suo peccato. Sed quià posito quod
Antichristus peccet non potest non peccare, ideò posito quod peccet,
non potest impedire Divinam scientiam, quæ consequitur peccatum:
Sicuti cum ego video hominem jacentem in foro non potest ille
impedire meam visionem, qua ego video illum jacentem. Potest igi=
tur Antichristus impedire Divinam scientiam quoad denominationem
faciendo nimirum, quod illa cognitio in Deo non extiterit: Non au=
tem potest impedire quoad substantiam, et essentiam, quià Deus
necessariò cognoscit quidquid aliquando futurum est.

74. Ad primum dico: illud commune proloquium: Non datur actio, et poten=
tia ad præteritum, si præteritum non pendeat à futuro con: antece=
dens: si pendeat neg: ant: Certè quod fuerit lux hesterna impediri
non potest quià non pendet ab ulla actione futura: Sed quod non fue=

rit ab æterno Divina scientia a peccato antecedenter impediri potuit, quia Divina scientia ab æterno existens pendet a peccato, quod erit pro tempore futuro.

75. Ad secundum dico nos ingredi quæstionem fortè omnium difficillimam in Theologiâ, quid nempè sint actus contingentes et liberi in Deo et quomodò potuerit non esse in illo, cum quo identificantur. Quam quæstionem expedire nostrum non est. Certum est illud Divinam scientiam de futuro contingenti ità esse in Deo, ut potuerit non esse quoad denominationem, quare impediri certò potuit. Certum est etiam difficultatem eyusm per decreta Thomistica non expediri, quià ea decreta ità sunt in Deo, ut potuerint non esse. Responderi potest in formâ dist: ma: scientia Divina necessaria est ipse Deus con: ma: scientia Divina contingens ne: ma: et concessa minori dist: consequens eodem modo. Sed non plus sapere, quam oportet sapere inquit Apos:

76. Ad tertium dist: ma: dependeret scientia Divina a peccato in ratione obiecti con: ma: in alia ratione ne: ma: et distincta minori ne: cons: Nulla est imperfectio, quod scientia Divina pendeat in ratione obiecti a peccato quod cognoscit, quia de natura scientiæ vel Divinæ vel humanæ est ut accomodet se obiecto, et illi se conformet sicuti de natura speculi est ut imaginem referat prout illi proponitur. Non pendet autem Divina scientia ab obiecto, ità ut ab illo recipiat species intelligibiles, quæ simul cum intellectu Divino producant physicè ipsam scientiam. Hoc enim Deum maximè dedeceret, ut probatum a Theologis.

77. Instabis secundo. Si Divina scientia penderet a peccato in ratione obiecti, determinari deberet a creaturis, ut cognosceret potius unum quam aliud; sed hæc esset imperfectio: Ergo &c. R: dis: ma:

determinari deberet intrinsecè, et subiectivè ne: ma: extrinsecè, et purè obiectivè con: ma: et dist: mi: esset imperfectio si determinaretur intrinsecè et subiectivè con: mi: si extrinsecè et obiectivè ne: mi: et cons: Divinus intellectus ex se ipso est determinans, ut cognoscat, quodcumque obiectum illi proponatur, quemadmodum Sol est ex se ipso determinans ut illuminet quodcumque obiectum, nullam tamen virtutem ab obiecto intrinsecè recipiunt nec Sol ut illuminet, nec Deus ut cognoscat. Nihilominus obiectum est terminus extrinsecus, et necessarius tum ut dicatur aliquid illuminatum a Sole, tum ut dicamus aliquid cognitum a Deo; si enim non datur obiectum, nec exisrit eius illuminatio nec eius cognitio: non ex defectu virtutis in Sole, et in Deo, sed ex defectu applicationis virtutis ad obiectum.

78. Instabis tertio. Antichristus non potest falsificare scientiam Divinam. Ergo si praevidemur peccaturus necessariò peccat. R. con: ant. et ne: cons: Cum potuerit antecedenter non peccare, potuit ex dictis facere, ne existeret scientia Divina de suo peccato, quae si non existat, jam falsa reddi non potest, cum falsificare scientiam supponat existentiam scientiae.

79. Instabis quarto. Antichristus potest verificare scientiam Divinam; Ergo potest etiam illam falsificare. Prob: cons: Omnis libertas est ad duo contradictoria. Sed verificare et falsificare sunt contradictoria. Ergo si habet potentiam antecedentem verificandi scientiam Divinam, habet etiam libertatem falsificandi; sed falsificare scientiam Divinam est conjungere scientiam de peccato cum omissione illius; Ergo si Antichristus posita scientia de peccato retinet potentiam antecedentem non peccandi, habet potentiam conjungendi scientiam Divinam de peccato cum omissione illius. Hoc omninò implicat. Ergo vel

Deus non cognoscit peccatum futurum, vel in sensu composito præscien=
tiæ non datur libertas non peccandi.

80. R: con: ant: et ne: cons: Ex illo antecedenti sequitur, quod Anti=
christus habet potentiam antecedentem ut existat scientia Divina de
suo peccato si peccat vel ut non existat si non peccat. Non autem
habet potentiam falsificandi Divinam scientiam, quià illam falsi=
ficare est conjungere scientiam de peccato cum omissione illius. Sed
repugnat quod Deus cognoscat aliquem peccaturum, et ille non
peccet. Ergo non habet potentiam falsificandi Divinam scientiam.

81. Ad prob: brevitatis causâ con: ma: et ne: mi: Illa duo non sunt
contradictoria, quia datur medium nempè impedire existentiam præ=
scientiæ, quæ si non existat, nec vera est nec falsa, uterque enim
terminus supponit existentiam scientiæ: Quod autem illa duo con=
tradictoria non sint probo. Verificare scientiam dicit et quod exis=
tat scientia de peccato, et quod peccatum sit: Falsificare scientiam
dicit: Et quod existat scientia, et quod peccatum non sit; Sed pro=
positioni copulativæ non contradicitur per aliam copulativam; Ergo illa
duo non sunt contradictoria.

82. Contradictoria essent, verificare et non verificare et ad hæc duo habet
potentiam antecedentem Antichristus. Sed ex hôc nihil sequitur contra
nos. Ratio est quià verificare scientiam significat et quod existat
scientia, et quod peccatum sit: Non verificare significat, vel quod non
existat scientia, vel quod peccatum non sit. Sed Antichristus ha=
bet libertatem faciendi quod non existat scientia; Ergo nihil ex illo
sequitur contra nos.

83. Instabis quinto. Peccatum Antichristi revelatum est in scripturis. Hanc
revelationem impedire Antichristus non potest. Ergo nec peccatum.

Rꝫ. con: ma: et diſ: mi: Non poteſt impotentia antecedenti ne: mi: impotentia conſequenti con: mi: et ne: conſ: Deo eſt revelatum modò eius peccatum, quià eſt cognitum a Deo, et ideò eſt cognitum quià libere illa peccatum ponit; Ergo omnia tandem in liberam eius vo=luntatem refunduntur, et neceſſitas peccandi ſuppoſita revelatione eſt neceſſitas peccandi ſuppoſito peccato. Sed hęc neceſſitas conſequitur exercitium libertatis. Ergo illam non tollit; Ergo optimè componitur scien=tia Divina cum libertate creata: Quod erat probandum.

Sectio quarta.

An propoſitiones de futuro contingenti sivè abſoluto sive conditionato sint nunc formaliter verę, vel falsę per se ipsas, et per obiec=tum, an per aliquod decretum Divinum.

84. Fidem nunc libero meam in exponandâ alterâ quęstione, quam propoſui. Thomiſtę sicut futura omnia solum in decreto connexo cognosci a Deo dicunt, ità docent, propoſitiones omnes de futuro eſſe formaliter veras per decretum, non autem per obiectum. Nos Thomiſ=tis ultrò concedimus futura omnia pendere vel a decreto Divino vel a determinatione cauſę neceſſarię, vel a diſpoſitione cauſę liberę; Deò parcere poterat Goudin oleo et operę, cum probavit, futura omnia habere futuritionem cauſalem, quod nemo noſtrum unquam negavit. Quod prętereà dicimus, duplici concluſione breviter statuo.

85. Notandum tamen futuritionem quam formalem vocamus duo dicere veluti conſtitutiva: 1. Quod res nunc non exiſtat: 2. Quod exiſtet poſteà pro sua temporis diferentia. Sit igitur prima concluſio: Futu=ra prętar futuritionem cauſalem habent futuritionem formale in se ipſis. Prob: Res prętarita formaliter conſtituitur in eſſe talis per hoc, quod aliquandò fuerit, et de pręsenti non sit; Ergo res futura

constituitur per hoc quod de præsenti non sit, et quod erit pro tempore sequenti. Prob: cons: Sicuti res præterita, ut fuerit, indiguit decreto Divino, ità res futura, ut sit, indiget aliquo decreto. Sed hoc non obstanti res præterita non est formaliter talis per decretum, quod præcessit. Ergo res futura non est formaliter talis per decretum præsens; Ergo est formaliter futura per se ipsam, nempè per existentiam, quam posteà habebit.

86. Sit secunda conclusio. Propositiones, quæ aliquid futurum enunciant, veræ sunt et ut veræ cognoscuntur a Deo per obiectum, non per decretum. Prob: Eo quod res est, vel non est propositio vera vel falsa dicitur; Ergo propositio vera est eo quod obiectum illius sit, prout enunciatur; Sed obiectum propositionis de futuro est, prout enunciatur, per se ipsum; Ergo propositio de futuro vera est per ipsum obiectum. Ergo per futuram existentiam obiecti cognoscitur a Deo veram esse, atque adeò existentia futura obiecti est id per quod vera est propositio, et non decretum.

87. Probatur secundo paritate. Propositio quæ enunciat aliquod præteritum vera est formaliter per obiectum ipsum, quod modò non existit, et jam extitit; Ergo propositio de futuro vera est per obiectum, quod modò non existit et existet pro sua temporis differentia.

88. Sed quià fundamentum Thomistarum, contra quos agimus in hac quæstione, est quod Deus non cognoscat res in se ipsis ideò probatur auctoritate S. Thomæ, Deum res omnes in se ipsis cognoscere. Igitur in 1.um sententiarum distin: 38. quæsti: 1. ar: 5. ad sextum inquit S. Doctor si Deus non vidisset immediatè effectum in se ipso, nunquam potuisset illum scire. Ergò Deus in se ipsis cognoscit res futuras, adeoque ruit fundamentum, quarè Thomistæ negant futuritionem formalem.

9. Obijcies primo. Ista propositio Petrus peccavit non est formaliter vera ante decretum Dei; Ergo est formaliter vera per decretum; Ergo eius verificativum est decretum Dei, non obiectum. Rx: con: ant: in quo probando necesse non est ut multum laboret Goudin, et ne: cons: Quamvis nihil sit extiturum, nisi præcesserit decretum Divinum de illa re producendâ; tamen propositio, quæ illud enuntiat futurum, non est formaliter vera per decretum, quod præcessit sed per obiectum, quod modò non est, et deinde erit: Sicuti Paulus quamvis non existat ante existentiam patris, tamen hæc propositio Paulus existit non est vera per existentiam patris, sed per existentiã ipsius Pauli.

10. Cum verò lis omnes nos inter, et Thomistas non sit de decreto in genere, sed de qualitate decreti explicandum est per quod decretum res omnis sit causaliter futura. Futura itaque absoluta, quæ unicè pendent a voluntate Divina v.g. mundus judicabitur requirunt decretum metaphysicè connexum cum rei existentia, et decretum hoc respectu rei futuræ huius generis est vera futuritio causalis. Futura absoluta quæ pendent a libertate creata vel sunt actus boni vel actus mali. Si sunt actus boni prærequirunt decretum collativũ libertatis, et decretum intentivum actus boni: si sunt actus mali, prærequirunt decretum collativum libertatis, et decretum permissivum actus mali. Huiusmodi decreta non sunt connexa cum actu bono, nec cum actu malo, quia illis positis voluntas est indiferens ad agendum, et non agendum: Hinc ista decreta nec sunt futuritio causalis peccati et pœnitentiæ nec medium sufficiens ad medium cognoscendum, sed solum prærequiruntur ut existat peccatum, et pœnitentia. Decreta, quæ in his futuris admittunt Thomistæ, supra satis

reiecimus.

91. Futura conditionata si conditio implenda non sit non prærequirunt decretum ullum actuale, et præsens, sed solum decretum, quod esset si poneretur conditio. Si implenda conditio sit, prærequirunt decretum de ponenda conditione, indifferens tamen intrinsecè, si pendeat a libertate creatâ.

92. Verum quidem est si ad ista decreta præsupponatur scientia media, per quam Deus cognoscit quod futurum est si talem libertatem conferat tunc decretum de conferendâ illa libertate et est connexum extrinsecè cum actu creaturæ et est medium sufficiens, ut effectus certò cognoscatur a Deo. Videat enim Deus per scientiam mediam si Petrus habeat talem libertatem convertetur et deindè decernat eam libertatem Petro conferre certè et illud decretum extrinsecè connectitur cum conversione Petri, et in tali decreto Deus cognoscit eius conversionem.

93. Concedimus itaque ut videris propositiones de futuro veras non esse ante decretum Divinum, sed negamus illud decretum formaliter esse futuras seu decretum illud esse formam per quam constituuntur futura.

94. Instabis primo. Propositio verificatur per obiectum futurum, obiectum est futurum per decretum, ergo verificatur per decretum. Rp: con: ma: et dis: mi: Est futurum per decretum tanquam per futuritionem causalem, con: mi: tanquam per futuritionem formalem na: mi: et distinguo consequens. Verificatur per decretum tanquam per verificationem causale con: cons: formale na: cons: sicuti nullus effectus futurus est nisi detur causa illum producens; ita nisi detur decretum de producendo. v.g. Petro, Petrus certè non existet. Sed quid

inde? Quis negat omnia futura esse per aliquod decretum. Controversia est non utrum decretum sit causa, sed utrum sit forma. Illud concedimus, hoc negamus.

95. Instabis secundo. Res futura distinguitur a purè possibili, et existenti per solum decretum de illa producenda. Sed id per quod distinguitur constituit rem in esse futurè; Ergo decretum constituit rem in esse futurè; Ergo est forma, per quam res futura est. Rx: dis: ma: distinguitur intrinsecè per solum decretum ne: ma: extrinsecè con: ma: et dis: mi: Id per quod distinguitur extrinsecè constituit rem in esse futuro ne: mi: id per quod distinguitur intrinsecè con: mi: et ne: cons. Res futura intrinsecè constituitur in esse futura, et distinguitur a purè possibili, et existenti per illa duo, quę diximus, nempè quod non existat nunc, et quod existet posteà. Quod non existat nunc illa distinguit a re existenti, quod existet posteà illam distinguit a re possibili.

96. Obijcies secundo. Futurum nihil est de pręsenti; Sed propositio non potest verificari per nihil; Ergo debet verificari per aliquid actu existens; Sed actu existens est solum decretum; Ergo per decretum verificatur. Rx: 1. retorquendo argumentum in re pręterita. Rx: secundo dis: mi: non potest verificari per illud quod nihil est de pręsenti, et simul nihil erit de futuro con: mi: per illud, quod nihil est de pręsenti, sed tamen aliquid erit de futuro ne: mi: et cons: Propositio de futuro non exigit, ut obiectum sit pręsens, quin imò si obiectum esset pręsens, falsa esset, sed exigit solum, ut obiectum sit pro tempore, quo enunciatur a propositione. Sed pro tempore enunciato obiectum erit aliquid, Ergo eius futura existentia sufficit, ut vera sit propositio, et nihil requiritur actu existens.

97. Sextabis. In propositionibus de futuro conditionato, in quibus conditio implenda non est, obiectum non solum nihil est, sed etiam nihil erit, sed obiectum quod nunquam erit non potest veram reddere propositionem. Ergo requiritur decretum præsens. R: dis: ma: nihil est et nihil erit eo modo quo enunciatur a propositione ne: ma: eo modo quo non enunciatur con: ma: et distincta pariter minori ne: cons: Propositio de obiecto conditionato enunciat solum, quod obiectum esset, si poneretur talis conditio et hæc existentia quam haberet si conditio poneretur sufficit ut vera sit propositio. Cæterum ad obiectum purè conditionatum nullum, ut diximus, requiritur decretum præsens, sed decretum quod esset, si implenda esset conditio.

Reliquum esset modò ut aliquid diceremus de tertia operatione intellectus, sed vix est aliquid dignum, quod cognoscatur, ab iis quæ diximus in summulis, nec in tantâ temporis angustiâ omnia persequi possumus. Quod præcipuè quæritur, primo est an intellectus præstito assensu præmissis necessariò debeat assentiri conclusioni, et respondemus, posse quidem intellectum suspendere assensum, sed in sillogismis præsertim demonstrativis si vult assensum præbere necessariò debere præstare assensum affirmativum. Et hanc necessitatem vocant contrarietatis, seu quoad speciem, ad diferentiam alterius necessitatis, quam contradictionis vocant, seu quoad exercitium quæ est cum ità necessitamur ad actum ut non possimus illum omittere.

Secundo an scientia, fides, et opinio in eodem intellectu possint componi, et communiter docemus posse. Intellectus enim ex pluribus motivis moveri potest ad assentiendum eidem veritati. Si assentiatur ex principijs certis, erit scientia, si ex Divinâ vel humana auc=

thoritate erit fides; si ex ratione aliquâ probabili erit opinio: Sed nos:

Iam natura vocat, rerumque arcana resolvit:
Sese aperit cœlum nubesque ac sidera menti
Obijcit, ostendunt errantia flumina terræ
Æquoraque et montes, et credita semina sulcis.
Iam revocate animos, mentemque advertite vestram
Nondum parta quies: longum maris æquor arandum.

Finis Logices.

Index Logicæ

De cognitionibus intellectus in communi - - - - pag: 2

De ijs quæ spectant ad primam operationem intellectûs - - - pag: 5

De proprietatibus terminorum - - - - - - pag: 10

De definitione - - - - - - - - - - - pag: 12

De divisione - - - - - - - - - - pag: 14

De ijs quæ pertinent ad secundam operationem intellectûs - - - pag: 15

De proprietatibus propositionum - - - - - - pag: 17

De ijs, quæ spectant ad tertiam operationem intellectûs - pag: 19

De legibus Syllogismi - - - - - - - - - pag: 22

De figuris et modis Syllogismi - - - - - - - pag: 23

De varijs divisionibus Syllogismi, et varijs speciebus argumentationum pag: 23.

Quæ sit philosophia, quæ eius divisio, et quæ philosophorum Sectæ - - - - - - - - - - - pag: 26

An existat philosophia - - - - - - - - - pag: 28

An hæc scientia sit de novo - - - - - - - pag: 32

De mente Cartesij in hac questione - - - - - pag: 34

An in omnibus veritatem assequi possimus - pag: 35

De natura, et obiecto Logicæ - - - - pag: 36

Quid sit Logica et quotuplex, ubi variæ quæstiones breviter indicantur — — — — — — — pag: 36
De obiecto Logicæ — — — — — — — pag: 38
Statuitur nostra sententia de obiecto Logicæ — pag: 39
Artis, eiusdemque Logicæ, ac totius philosophiæ Peripateticæ vindicationes — — — — — — — — pag: 41
De iis quæ pertinent ad primam operationem nostri intellectus: De ideis, et de natura nostrarum cognitionum — — — pag: 45
De ideis innatis — — — — — — — — pag: 50
Intellectus intelligendo aliquid vitaliter agit — — — pag: 55
An detur idea innata Dei — — — — — pag: 57
Reiiciuntur ideæ adventitiæ, et factitiæ — — — pag: 62
Utrum omnis cognitio pendeat a sensibus: De sensibus externis — — — — — — — pag: 64
De sensu interno, seu de immaginativa — — — pag: 67
Statuitur nostra conclusio — — — — pag: 70
Utrum ex ideis desumendum sit, quod aiunt veritatis Criterium — — — pag: 73

Refellitur Criterium Cartesij - - - - pag: 74
Statuitur quæ sit veritatis regula, seu Criterium pag: 76
De identitate, et distinctione. Explicantur termini - - - pag: 82
Exponitur et reijcitur distinctio virtualis intrinseca Thomistarum, et præcisio obiectiva - - - - - - - - - - - pag: 84
Exponitur et reijcitur distinctio formalis ex natura rei Scotistarum - - - - - - - - - - - pag: 83
De universalibus - - - - - - - - - pag: 84
De universalibus in particulari - - - - - - pag: 86
De prædicamentis, seu Categorijs Artis, et recentiorum - pag: 88

De ijs quæ pertinent ad secundam operationem intellectus.

De iudicij natura, et veritate - - - - - pag: 92
De veritate propositionum - - - - - - - pag: 93
Utrum propositio de futuro contingenti sit nunc determinatè vera, vel falsa - - - - - - pag: 96
Propositiones de futuro contingenti, tum absoluto, tum conditionato sunt nunc quoad se determinatæ veræ, vel falsæ - - - pag: 97

Veritas determinata futurorum contingentium, et Divina scientia de illis libertati humanæ non opponitur — pag: 200

Statuitur scientia Divina quoad omnes veritates — pag: 202

Statuitur secunda conclusio — — — — — — pag: 205

An propositiones de futuro contingenti sivè absoluto, sivè conditionato sint nunc formaliter veræ, vel falsæ per se ipsas, et per obiectum, an per aliquod decretum Divinum — — — pag: 210

Finis

977

LLY.

877.

L20

LL9.